

3



HOSTIA MIRACULOSA.
Quadringentis Sexaginta duobus annis in Monasterio S. Crucis Augustæ Ord: Can: Reg: S. Aug. Sanguineæ caſis Specie visibilis continuisq; miraculis coruscans Anno 1661.



VERA ET REALIS CHRISTI PRÆSENTIA

In

SANCTISS. MIRACVLOSO SACRAMENTO,

Quod

AVGVSTÆ VINDELICORVM IN ECCLESIA S. CRVCIS CANONICORVM REGVLARIVM S. AVGVSTINI, AB ANNO CHRISTI 1199. IN HODIERNVM VSQVE DIEM SVB RVBEA CARNIS SPECIE VISITVR ET COLITVR.

Verbis & Sententijs Doctorum De præſentiâ Chriſti in eâdem, & alijs ſimilibus Miraculoſis Sacris Hoſtijs, aduerſus omnem hæſitantiam confirmata & ſtabilita. &c.

Præmiſſâ breui Hiſtoriâ eiuſdem Rei,

Prout habetur in Lectionibus ſecundi Nocturni Officÿ diuini, quod à dictis Canonicis Regularibus, in eiuſdem SS. Sacramenti Feſto 11. Maÿ ab antiquo recitari ſolet.

Cum Facultate Superiorum.

DILINGÆ. Formis Academicis,
Apud Ignatium Mayer.
ANNO M. DC. LXII.

Digitized by Google

HISTORIA.

CONtigit ANNO poſt Chriſtum natum milleſimo, centeſimo, nonageſimo quarto, vt cùm Auguſtana quædam fœmina ex ſacro Altari Sacroſanctam Euchariſtiam Chriſtiano more ſuſcepiſſet, illam paulò pòſt clàm ex ore extraxerit, ac ceræ inuolutam domi ſuæ quinq; annis aſſeruauerit. Quæ diuino dein adacta impulſu factum tamdiu diſſimulatum celare ampliùs minimè valens, Religioſo viro Berchtoldo, Cœnobio S. Crucis Præpoſito confeſſa eſt; Hoſtiam ſacram ceræ incluſam vltro ei reſtituens. Aperiens ille aliquantulum ceram, Corpus Dominicum in carnis forma tenui, & filo rubeo ſimili, in extremitate apparere

deprehendit, ac ceram deinde vtrinque omnino detrahens; illud quaſi in duas partes diuiſum, venulis tamen quibuſdam, veluti nexibus, connexum reperit. Obſtupuit igitur tanto miraculo, ceræq́; denuo implicatum Sacramentum recondidit, ac rem totam Vdalſcalco tunc temporis Epiſcopo Auguſtano explicauit: qui comitante Clero populóque vniuerſo illud è S. Crucis ad Cathedralem Eccleſiam honorificentiſſimè detulit, & triplo vel quadruplo interea adauctum incremento, ac dehinc etiam à tempore Paſchæ vſque ad feſtum S. Ioannis Baptiſtæ, inter miſſarum præſertim ſolemnia, omnibus cernentibus, eouſque excreuiſſe, & intumuiſſe comperit, vt ceram à ſe planè diſiunxerit: quam auulſam poſtea ſeparatim, cum ſacra hoſtia, vaſculo

Cry-

Cryſtallino, in quo etiamnum aſſeruatur, ita incluſit, vt abſque fractura vaſculum illud aperiri nequeat. Certus igitur Vdalſcalcus de tāto miraculo, ſummum id Omnipotentis beneficium, ad confirmandam & augendam credentium fidem diuinitus conceſſum recognoſcens, ſacram illam hoſtiam in templum prædicti cœnobij ſolenniter repoſuit, ac ne eius memoria ex hominum mentibus aliquando excideret, ſolenne officium de ea quotannis vndecimo die Maij Auguſtæ celebrari conſtituit. Vt porro populo Chriſtiano rei geſtæ veritas, ne in dubium vnquam vocari poſſet, ac quanto in honore DEVS hoc Sacramentum haberi vellet, euidentiùs conſtaret, plurima diuinitus beneficia collata ſunt ijs, qui varijs languoribus & ægritudinibus laboran-

tes illud ex pio voto venerabundi acceſſerunt. Multi grauiſſimis periculis liberati, multis oculorum cæcitate perculſis, linguæ aliorúmque membrorum vſu deſtitutis, febricitantibus, maligno ſpiritu obſeſſis, alijsq; morbis grauibus diuexatis, reſtituta eſt ſanitas, dum piâ animi fiduciâ vel ex propinquis, vel ex remotioribus partibus & locis venientes, ſupplices DEO *preces pro recuperanda valetudine coram ſacratiſſimo hoc Sacramento obtulerunt.*

DO-

DOCTORVM SENTENTIÆ.

De Sacramentali Chriſti Domini Præſentia ſub ſpeciebus Euchariſtiæ miraculoſis, peregrinis & inuſitatis, ut carnis, ſanguinis, Pueri, &c.

I.

S. Thomas Aquinas, Doctor Angelicus, Ord. Prædicatorum, p. 3. q. 76. art. 8.

ANNO 1270.

RESpondeo dicendũ, quòd dupliciter contingit talis apparitio, quâ quandoque in hoc Sacramento mira-

culoſè videtur Caro, aut Sanguis, aut etiam aliquis Puer. Quandoque enim contingit ex parte videntiū, &c. Quandoque verò contingit talis apparitio non per ſolam immutationem videntium, ſed ſpecie, quæ videtur, realiter exteriùs exiſtente. Et hoc quidem videtur eſſe, quando ſub tali ſpecie ab omnibus videtur, & non ad horam, ſed per longum tempus permanet, &c. *Et infrà.*

Et ideo dicendum eſt, quòd manentibus dimenſionibus, quæ priùs fuerant, fit miraculosè quædam immutatio circa alia accidentia (puta figuram, & colorem, & alia huiuſmodi) vt videatur Caro, vel Sanguis, aut etiam Puer. Et ſicut priùs dictum eſt, hoc non eſt deceptio, quia fit ad figuram cuiuſdam veritatis, ſcilicet ad oſtendendum, per hanc miraculoſam apparitionem, quòd in Sacramento eſt verè Corpus & Sanguis Chriſti: Et ſic patet, quòd remanentibus dimenſionibus,

bus, quæ ſunt fundamenta aliorum accidentium, vt infrà dicetur, remanet verè Corpus Chriſti in hoc Sacramento.

Idem Angelicus Doctor in 4. d. 10. q. 1. a. 4. ad 2. quæſt. de miraculoſis apparitionibus.

AD ſecundam quæſtionem dicendum, quòd abſque omni dubio dicendum eſt, illud quod ibi apparet, eſſe verè Corpus Chriſti, aliàs non adoraretur, ſicut & priùs erat, quando in ſpecie panis videbatur. Sed vtrùm ſpecies illa, quæ ibi apparet, ſit ſpecies Corporis Chriſti, difficile eſt determinare. *Et infrà.*

Et ideo ſecurius videtur, dicere, quòd ſicut quando videbatur Corpus Chriſti in ſpecie panis, erant quædam dimenſiones ſubſiſtentes, & in illis alia accidentia ſenſibilia fundabantur, ita illæ eædem dimenſiones manent, & eis alia accidentia ſuperducuntur, diuinâ

virtute, quæ ſpeciem carnis prætendunt, ſicut & alia accidentia, quæ priùs erant, prætendebant ſpeciem panis: & poteſt eſſe, quod eâdem virtute illis accidentibus recedentibus iterum accidentia panis reducantur, cùm etiam naturali actione aliquod illorum quandoque accidentium immutari poſſet, dimenſionibus manentibus, ſicut odor vini, vel ſapor, ſi diu conſeruaretur.

Ad argumenta in contrarium ſic reſpondet.

Ad primum ergo dicendum, quòd adhuc ſpecies panis manent, quantum ad dimenſiones, quæ priùs ſubſiſtebant, & principales erant in Sacramento, quamuis color & alia huiuſmodi non maneant, diuinâ virtute hoc faciente: & ideo ſub illis dimenſionibus adhuc manet Corpus Chriſti.

Ad ſecundum dicendum, quòd ædificatur fides, & excitatur deuotio: quia alia accidentia ſunt ſimilia omnino accidentibus carnis Chriſti veræ, quod

non

non erat de accidentibus panis, quamuis non ſint ipſamet accidentia Corporis Chriſti.

Ad tertium dicendum, quòd quamuis illa accidentia carnis ibi priùs non eſſent, tamen ſunt ſuperinducta ad fidei inſtructionem diuinâ virtute.

I I.

Petrus à Tarentaſia, poſtea Innocentius V. diſt. 10. p. 3. art. 20. apud Nicol. Dinckbelſpühl in 4. ſent. diſt. 10. q. 7.

ANNO 1275.

SVb ſpeciebus nouis miraculosè ſuperductis latent ſpecies panis, quæ ſunt veræ ſpecies ſacramentales, ſub quibus continetur Corpus Chriſti; illis enim ſpeciebus panis circumfunduntur quædam accidentia Carnis vel Pueri, quæ tamen non ſunt propria accidentia vel lineamenta Carnis Chriſti: vnde licèt in tali apparitione miracu-

loſa Chriſtus expreſſiori ſigno videatur, quàm ſub ſpecie panis, non tamen videtur in ſpecie propria ibi.

I I I.

Ægidius Columnius Romanus, Ord. Eremit. S. Aug. libro de Corpore Chriſti. Theoremate 24.

ANNO 1190.

SI virtute diuina poſt conſecrationem Hoſtiæ, ſpecies panis in ſpeciem conuertatur Carnis, quod quandoque ad deuotionis excitationem, quandoque ad fidei ædificationem, ſiue confirmationem, & veritatis figurationem contingit, tunc etſi non erit ibi Chriſtus, quantum eſt de lege communi, tamen Dei diſpenſatione ſpeciali Chriſtum omnino ibi eſſe fatendum eſt.

I V.

Petrus de Palude, Ordinis Prædicatorum, apud Ioan. Capreolum in 4. ſent. d. 13. q. 1. & diſt. 10. q. 1. a. 2. in ſol. 1. arg.

ANNO 1300.

E*Adem habet, quæ S. Thomas ſuprà relatus n. 1. Addit etiam,* quòd facta tali apparitione *(in Euchariſtia)* ſpecies ſacramentales quandoque quidem maneant totaliter in ſeipſis, quandoque autem ſecundùm illud, quod eſt potiſſimum in eis, ſcilicet, quantum ad dimenſiones.

V.

Aſteſanus Aſtenſis Ordinis Minorum in Summa Caſ. Conſcient. lib. 4. tit. 11.

ANNO 1330.

QVæritur, vtrùm ſub hoc Sacramento ſit verè Corpus Chriſti, quan-

quando apparet ibi miraculosè Caro, vel Puer, vel aliquid tale? Reſpondeo. Talis apparitio contingit quandoque propter ſolam immutationem videntium, quandoque manentibus prioribus Hoſtiæ dimenſionibus propter immutationem circa alia accidentia, vt figuræ, coloris, & huiuſmodi; & vtroque modo manet ibi verum Corpus Chriſti, quia ibi ratio Sacramenti manet: vtroque etiam modo fit miraculum, ad oſtendendum, quòd in hoc Sacramento eſt verè Corpus Chriſti.

V I.

Bernardus Parentinus, Ord. Prædic. in tract. de Sacrament. cap. 23.

ANNO 1340.

QVantum ad quintum dubium, videnda tria: Primò, vtrùm quando apparet in forma Carnis, vel Pueri, ſit ibi realiter Chriſtus? Secundò, &c.

Quan-

Quantum ad primum illorum, Reſpondeo breuiter, quòd ſic, aliàs non adoraretur vt priùs, quando in ſpecie panis apparebat. &c.

V I I.

F. Thomaſinus Ferrarienſis, Ord. Prædicatorum in 4. ſentent.

ANNO 1390.

QVando in Sacramento apparet ipſa ſpecies Carnis, tunc ibi eſt verè Corpus Chriſti, non tamen illa ſpecies eſt vera ſpecies Corporis Chriſti, ſed vel eſt tantùm illa ſpecies in oculo videntis, quod contingit, quando ab vno videtur tantùm in ſpecie Carnis, ab alijs in ſpecie panis: vel eſt in ipſis dimenſionibus panis remanentibus, diuino miraculo alijs accidentibus immutatis: quòd autem Chriſtus in tali apparitione propriâ ſpecie non videtur, patet per hoc, quòd non videtur in illa quantitate, quam Chriſtus habet.

VIII.

VIII.

Ioannes Capreolus Ordinis Prædicat. lib. 4. ſent. diſt. 10. q. 1. a. 2.

ANNO 1415.

EX quibus patet, quòd cùm diuina virtute qualitates ſenſibiles Euchariſtiæ deſtruuntur, dum tamen manent dimenſiones panis aut vini, non ideo deſinit ibi eſſe Corpus Chriſti, nec ratio Sacramenti.

IX.

Nicolaus Dinckelſpühl, Viennenſis Vniuerſitatis in Auſtria Rector, in 4. lib. ſent. diſt. 10. q. 7.

ANNO 1420.

VIdetur probabilius, quod dicit Petrus de Tarentaſia, ſcilicet, quòd ſub ſpeciebus nouis miraculosè ſuperductis latent ſpecies panis, quæ ſunt

veræ

veræ ſpecies ſacramentales, ſub quibus continetur Corpus Chriſti, &c.

X.

Henricus de Gorichem Germanus, in 3. p. D. Tho. q. 15. propoſ. 3. coroll. 2. ad finem.

ANNO 1460.

COrollarium ſecundum. Diſtinguendum videtur, qualiter in hoc Sacramento quandoque fertur apparere Caro, aut Puer aliquis miraculosè. Hoc Coroll. patet: Nam talis apparitio quandoq; prouenit ex parte videntium, quorum oculi immutantur tali immutatione, ac ſi expreſsè viderent exteriùs Carnem, vel Sanguinem, vel Puerum, quod præcipuè contingit quandoque aliquibus, cùm videtur ſolum Sacramentum. Quandoque autem talis apparitio contingit ex ſpecie realiter exteriùs exiſtente, vt quando ab omnibus ſic videtur, & non ad horam,

ſed

ſed ad longum tempus, quod contingit, quia manentibus dimenſionibus, quæ ſunt fundamenta aliorum accidentium, fit miraculosè quædam immutatio circa alia accidentia, puta figuram & colorem, & alia huiuſmodi, vt videatur Caro, & Sanguis, aut Puer; nec eſt deceptio, fit enim in figuram cuiuſdam veritatis, ſcilicet ad oſtendendum per hanc miraculoſam apparitionem, quòd in hoc Sacramento eſt verè Corpus Chriſti.

X I.

Angelus de Clauaſio Ord. Cler. Min. in Summa Angelica Caſ. Conſcientiæ, V. Eucbariſtia, tit. 1. n. 34. ad finem.

ANNO 1490.

VNde ſpecies Sacramenti, ſub qua continetur Corpus Chriſti, latet ſub illa figura, quæ apparet, nullâ immutatione factâ circa ipſam, & confunditur

ditur tantùm ipſa ſpecies quibuſdam accidentibus Carnis, vel Pueri, quæ non ſunt propria accidentia Corporis Chriſti vel lineamenta.

X I I.

Ioannes de Adorff SS. Theolog. in Vniuerſ. Ingolſtad. Profeſſor, in Inſtrumento Deciſionum ſuper Miraculoſo Sacramento Auguſtano.

ANNO 1493.

PRima Propoſitio, quòd factâ Conſecratione, ſpeciebus & accidentibus, vt figurâ & colore panis miraculosè mutatis & tranſeuntibus, manentibus panis dimenſionibus, quæ ſunt accidentium aliorum fundamentum, vt cùm poſt conſecrationem Caro, Puer, vel Sanguis videtur, verum Corpus Chriſti ſub talibus ſpeciebus contineri, quod Latriâ eſt venerandum, minimè eſt dubitandum. Quod quidem Corpus

pus

pus Chriſti ita totum tunc ſub tota ſpecie Carnis, Pueri, vel Sanguinis, & ſub qualibet eius parte continetur, ſicut & ſub ſpecie panis antea continebatur. *Et infrà.*

Et quia iuxta hiſtoriæ continentiam iam quaſi à trecentis annis in Eccleſia & Præpoſitura S. Crucis in Auguſta, Ordinis Canonicorum Regularium, poſt ſpecies panis tranſeuntes ſpecies ſanguinis apparere leguntur, & cernuntur, ideóque ſtante veritate præmiſſorum, nullatenus eſt dubitandum, quin ſub talibus ſpeciebus ibidem apparentibus, vel conſimilibus, quæ in alijs Eccleſijs reſeruantur, verum Corpus Chriſti contineatur, omni veneratione & cultu colendum, quo Corpus Chriſti ſub ſpecie panis contentum veneratur & adoratur.

XIII.

XIII.

Facultas Theologica Erfordienſis, in Reſponſo ad Fridericum Epiſcopum Auguſtanum, in cauſa Miraculoſi Sacramenti Auguſtani.

ANNO 1494.

TAle viſum eſt Gratiæ Veſtræ dari reſponſum. Quod ſatis quidem annuere, & conſentire volumus illis antè dictis duobus Doctoribus (Ioanni de Adorff, & Henrico Inſtitoris,) & Determinationibus eorum, quantum ad hoc, quòd in tali caſu miraculoſa mutatione maneat verum Corpus Chriſti ſacramentaliter ſub nouis & miraculoſis ſpeciebus, ſicut & prioribus in cõſueto Sacramento, quamdiu illæ ſpecies perdurauerint, non quidem ſecundùm legem communem, ſed DEI diſpenſatione ſpeciali: & illud tunc adoratione Latriæ poſſit, & debeat adora-

rari: nam & plurimos Doctorum etiam Sanctorum illud legimus ſenſiſſe, & in ſcriptis ſuis reliquiſſe: quamuis de modo commutationis & exiſtentiæ ſit inter eos diuerſitas, vnde nihil habet Gratia Veſtra in præſenti curare. *Et infrà.*

Si verò ex altera parte ſpecies illæ vel ſub Carnis, vel ſub Panis forma perceptibiles fuerint inuentæ, quod denegare omninò & diiudicare abſentes non poſſumus, verum Corpus Chriſti vtique ſubeſſe, & cultu Latriæ venerandum fore, non dubitamus.

X I V.

Henricus Inſtitoris Ordinis Prædicat. Hæreticæ prauitatis Inquiſitor Generalis, in Tractatu ſingulari de Miraculoſo Sacramento Augustano, In Prologo.

ANNO 1493.

ET cùm ex hac ambigua (cuiuſdam prædicatoris, quem & nominare

Theo-

Theologum ordo rationis dedignatur) doctrina, non tantùm huic miraculoſo Sacramento, quantum & cunctis alijs in varijs Eccleſijs miraculosè conſeruatis ſpeciebus ſacramentalibus, ſub quibus ſemper verum Corpus Chriſti cultu & adoratu digniſſimũ fidelibus proponitur, friuolè & ſcandalosè detrahitur, ideò & ipſum dogma cum ſuo Authore tanquam friuolum & execrabile refutatur; friuolum vtique, cùm omnium Doctorum ſententijs contrariatur. *Et infrà.*

Authoritate Domini Noſtri Papæ, quâ fungimur hac in parte, in virtute ſanctæ obedientiæ, ac ſub pœna excommunicationis præcipimus, ac mandamus, & mandando requirimus & monemus vniuerſos & ſingulos, tam regulares quàm ſæculares Prædicatores, cuiuſcunq; conditionis, graduum, ſtatûs, ordinis, religionis, ac dignitatis exiſtãt, & qui ſunt infra terminos ab Apoſtolica Sede nobis aſſignatos, videlicet per

Pro-

Prouincias & Archiepiſcopatus Moguntinenſem, Treuirenſem, Colonienſem, & Salisburgenſem, nec non Bremenſem, & ad quos homines hæc noſtra monitio peruenerit, quatenus in eorum publicis ſermonibus nullo modo ſub dubio coram populo relinquēt, an ſub tali vel conſimili Sacramento miraculoſo ſit verum Chriſti Corpus ſacramentaliter contentū, cùm omnino fidei repugnet, imò & contradictis implicet, vt miraculoſum ſit Sacramentum, & tamen verum Corpus Chriſti non ſit ibi ſacramentaliter contentum.

Et parte 1. eiuſdem tractatûs, quæſt. 3.

Concluſio Virtute ſacramentalium verborum remanſit ſine ſubiecto ad tempus ſpecies alba panis, quæ tamen ſola ex pòſt diuinâ virtute conuerſa fuit in hanc ſpeciem ſanguineæ Carnis.

Corollarium. Prima ſpecies alba panis non ceſſit, nec fuit annihilata, ſed ipſa eadem numero exiſtens fuit in rubeam ſpeciem tranſmutata.

Et

Et eâdem parte 1. q. 4.

Concluſio. Sicut in quolibet altaris Sacramento, ita & in hoc miraculoſo viatico remanet ſola quantitas dimenſiua huius ſanguineæ ſpeciei Carnis abſque naturalibus ſubiecti conditionibus.

Corollarium. Sicuti quantitati dimenſiuæ datur diuinitus, vt per ſe valeat ſubſiſtere, ita eidem in hoc miraculoſo Sacramento conceditur, vt aliorum accidentium valeat ſubiectum eſſe.

Et parte 2. eiuſdem tractatûs q. 2.

Concluſio. Cùm hæc ſpecies cruentata ſit ex ſpeciali virtute diuina ſuperinducta, à corruptionis facilitate omnino manet ſecluſa.

Corollarium Licèt in conſueto altaris Sacramento ſpecies ſacramentales ſæpe naturales corruptiones patiantur, hæc tamen ſpecies cruentata, niſi in priſtinam redeat albedinem, corrumpi non præſumitur.

Et parte 3. eiuſdem tractatûs q. 1. in probatione concluſionis.

Imò ſub hac ſpecie cruoris ſeu cruentatæ carnis, verum Chriſti Corpus, quoadusque hæc ſpecies durauerit, omni ambiguitate poſtpoſitâ, ſacramentaliter continetur: & idem iudicium eſt de omni alio miraculoſo Sacramento huiuſmodi, vbicunque in Eccleſijs reſeruatur.

Et in quæſtione finali paulò poſt initium.

Ideo licèt hoc verum ſit, quòd ceſſante ſpecie ceſſat Sacramentum huiuſmodi, reſpectu quoad omnimodam ceſſationem ſpeciei panis conſuetæ vel miraculoſæ. Ita videlicet, quòd nulla per amplius hæc vel illa apparet, eò quòd conſumpta vel corrupta aut incinerata fuit: non tamen verum eſt, vbi loco ſpeciei conſuetæ, vel coloris albi, iam alia ſpecies miraculoſa & magis expreſſiua Corporis Chriſti apparet; vnde & ſub tali miraculoſa ſpecie etiam tamdiu

durat

durat Sacramentum Corporis Chriſti, quamdiu durat ipſa ſpecies.

X V.

Reuerendiſſimus & Illuſtriſſ. Princeps Fridericus Epiſcopus Auguſtanus.

ANNO 1495.

HVius Reuer. & Illuſtriſſimi Principis mens de Præſentia Sacramentali Chriſti Domini in Miraculoſo Sacramento Auguſtano, & cultu latriæ eidem exhibendo, ſatis conſtat, tum ex eiuſdem decreto, quo ſuprà relatas ſententias & concluſiones Theologorum Erfordienſis & Ingolſtadienſis Vniuerſitatum, de eodem Sanctiſſimo Miraculoſo Sacramento populo Auguſtano publicari mandauit, tum etiam ex Inſtrumento publico ſuper eadem publicatione erecto. Decretum ita ſe habet:

Quia Dominus noſter Reuerendiſſimus, vti bonus Paſtor, ac fidelis Pater,

ſemper intendens ſaluti animarum; intellexit oues ſuas, nonnullas habere differentias, & quodammodo dubitare, quænam ſit adoratio & reuerentia exhibenda Miraculoſo Sacramento, quod hîc in Auguſta, & Eccleſia ſua Sanctæ Crucis, ex altiſſimi DEI ſpecialiſſimo dono, quondam & ante multa tempora inuentum eſt, prout in prædicta Eccleſia habetur, & in Cryſtallo oſtenditur. Ne igitur verus cultus & adoratio debita cum offenſa DEI, & diſpendio ſalutis hominum ſubtrahatur mentionato Miraculoſo Sacramento, operam dedit præfatus Dominus, Reuerendiſſimus Epiſcopus Auguſtanus, & conſuluit Doctores ſuper hoc, & Vniuerſitates quorum conſilia & ſententias populo ſuo publico ſermone intimari decreuit, in Cancellis, & Eccleſia præfata Sanctæ Crucis, hodierna die, immediatè finitis Veſperis ibidem; & craſtino, ſcilicet feria ſecunda de mane, etiam fiet ſermo poſt priorem Miſſam, videlicet

licet

licet nach der Frümeß / nam eodem die erit Feſtum, ac ſolennitas annua peragenda Miraculoſi Sacramenti, prout inuentum & reuelatum eſt.

Sequitur inſtrumentum ſuper eâdem publicatione factâ erectum.

In nomine Domini, Amen. Nouerint vniuerſi Chriſti fideles, quòd anno à Natiuitate eiuſdem, milleſimo, quadringenteſimo, nonageſimo quinto, Indictione decima tertia, die ſolis, decima menſis Maij, hora ferè quarta, poſt Veſperas, in Cancellis Eccleſiæ, & Monaſterij Sanctæ Crucis, Ordinis S. Auguſtini Canonicorum Regularium Auguſtenſium, Pontificatûs ſanctiſſimi in Chriſto Patris & Domini noſtri, Domini ALEXANDRI, diuinâ Prouidentiâ Papæ VI. Anno tertio, in mei Notarij, teſtiúmque infrà ſcriptorum, ad hoc ſpecialiter vocatorum & rogatorum, ac magna populi multitudine vtriuſque ſexûs, ciuitatis Auguſtenſis, ad hoc vocata, præſentia, Venerabilis vir, Domi-

nus Magnus Pirgman, Reuer. in Chriſto Patris, & Domini, Domini Friderici, Dei & Apoſtolicæ Sedis gratiâ Epiſcopi Auguſtenſis Pœnitentiarius per Diœceſin Auguſtenſem generalis, ex ſpeciali commiſſione & mandato prælibati Domini Auguſtenſis, & requiſitione & rogatu Venerabilis Patris, Domini Viti Fackler, tunc temporis Monaſterij prædicti Præpoſiti & Prælati, quaſdam declarationes & concluſiones nonnullorum venerabiliũ & egregiorum Sacræ Theologiæ, Erfurdienſis & Ingolſtatenſis Vniuerſitatum, Doctorum, de & ſuper Miraculoſo, Venerabili, & Glorioſo Euchariſtiæ Sacramento, quòd ab anno Domini milleſimo, centeſimo, nonageſimo nono, in Monaſterio & Eccleſia prætacta continebatur, & hodie magna cum reuerentia tenetur, vulgari ſermone, populo prædicto, quantum melius potuit & valuit, explicauit, intimauit, vulgarizauit, & declarauit, populúmque ibidem exiſtentem

ſtentem diligenter informauit, quomodo & qualiter Sacramentum prædictũ adorari, reuereri, & venerari in antea debeant, & teneantur. Quarum determinationum & declarationum Doctorum ſtudij Erfurdenſis tenor ſequitur de verbo ad verbum, & eſt talis. &c. *Et infrà.* Alia verò Doctorum ſtudij Ingolſtatenſis ſequitur de verbo ad verbum, & eſt talis. &c. *Ad finem verò dicti Inſtrumenti hæc verba ponuntur.* Publicatis, lectis, & recitatis huiuſmodi, vt præmittitur, in cancellis, concluſionibus, & determinationibus, præfatus Dominus Præpoſitus, me Notarium infrà ſcriptum, quatenus ſibi ſuper præmiſſis omnibus & ſingulis, vnum vel plura, publicum ſeu publica conficerem Inſtrumentum & Inſtrumenta, publicè requiſiuit. Acta ſunt hæc Auguſtæ, ſub Anno, Indictione, die, menſe, hora, locis, & Pontificatu, quibus ſuprà, præſentibus ibidem honorabilibus viris Dominis, Vdalrico Linckh Vi-

 cario

cario Chori Eccleſiæ Auguſtenſis, Io. anne Ballenpinder in Töpshouen, & Andrea Luger in Zell, Plebanis Auguſt. Diœceſis, teſtibus ad præmiſſa vocatis ſpecialiter atque rogatis.

Et ego Simon Grimm Publicus ſacrâ Imperiali auctoritate Notarius, quia præinſertarum litterarum per ſuprà dictum Dominum Magnum Pirgmann Pœnitentiarium in Cancellis publicationi, intimationi, declarationi, vulgarizationi, populíque informationi, omnibúſque alijs & ſingulis, dum ſic vt præfertur, per præfatum Dominum Magnum fierent & agerentur, vnà cum prænominatis teſtibus præſens interfui, eáque omnia & ſingula ſic fieri vidi & audiui: idcirco præſens publicum Inſtrumentum, manu alterius, me legitimè alijs præpedito negotijs, fideliter ſcriptum, exinde confeci, ſubſcripſi, & in hanc publicam formam redegi, ſignóque & nomine meis ſolitis & conſuetis ſignaui, in fidem & teſtimonium

omni-

omnium & ſingulorum præmiſſorum, rogatus & requiſitus.

XVI.

Hieronymus Tungersheym de Ochſenfurt, in Concluſionibus ad Summam Theolog. S. Tho. in 3. p. q. 76. a. 8. pag. 226.

ANNO 1516.

IN hoc Sacramento verè manet Chriſti Corpus, dimenſionibus quantitatis ibi remanentibus, quidquid ibi vel ex parte ſpecierum, vel oculorum, miraculosè appareat videntibus.

XVII.

Thomas de Vio Caietanus, Ord. Prædicat. in Comm. ad 3. p. D. Thomæ q. 76. a. 8.

ANNO 1517.

SI verò dimenſiones non ſunt ita in veritate extenſæ, quin efficerent di-

merſam ſubſtantiam, ſi ſubeſſet, ſentiendum eſt, vt littera tradit: quoniam tamdiu manet veritas Sacramenti, quamdiu maneret panis aut vinum, ſi ſubeſſet, conſtat autem, quòd quamdiu manent dimenſiones illæ ſine ſubiecto, manet Corpus aut Sanguis Chriſti.

X V I I I.

Ioannes Tabienſis, Ordinis Prædicat. in Summa. V. Euchariſtia. num. 41.

ANNO 1534.

ET ideo dicendum eſt, quòd manentibus dimenſionibus quæ priùs fuerant, fit miraculoſè quædam immutatio circa accidentia alia, puta figuram, colorem, & alia huiuſmodi, vt videatur Caro, vel Sanguis, aut etiam Puer; & ſic patet, quòd remanentibus dimenſionibus, quæ ſunt fundamenta aliorum accidentiũ, remanet verè Corpus Chriſti; & ſic in huiuſmodi appa-

ritio-

ritionibus non videtur propria ſpecies Chriſti, ſed ſpecies miraculosè formata, vel in oculis intuentium, vel etiam in ſacramentalibus dimenſionibus.

XIX.

Franciſcus Victoria Ordinis Prædicat. in Summa Sacram. Eccleſiæ, num. 71.

ANNO 1540.

SEcundò poteſt fieri talis apparitio perſeueranter, & tunc à parte rei facta eſt vera mutatio ſpecierum.

Et ſi in forma Carnis aut Sanguinis appareat, non ſunt ſumendæ, propter horrorem, ſpecies illæ, & quia humanis carnibus veſci illicitum videtur: eſſent tamen prædictæ ſpecies adorandæ, vt antea.

fundamenta aliorum accidentium, remanet Corpus Chriſti in hoc Sacramento.

X X I.

Petrus de Soto Ord. Præd. in Tract. de Inſtit. Sacerdotum pag. 105. edit. Diling.

ANNO 1552.

SEcundum, propter miracula, & ea quæ ſolent in hoc Sacramento apparere, notandum eſt, quòd quamdiu in hoc Sacramento apparet alia ſpecies, (vt ſi ſit mutatio aliqua ſpecierum facta) ſi tamen permanet eadem quantitas & figura, credendum eſt, ibi manere Corpus Chriſti vel Sanguinem, & ideo adoranda ſunt, ſicut antea, quàm fieret tranſmutatio illa.

X X I I.

Dominicus Soto, Ordinis Prædicat. in lib. 4. ſent. diſt. 10. q. 1. a. 8.

ANNO 1560.

SEcunda Concluſio: quamdiu manet quantitas dimenſiua, quæ fuerat panis, & fundamentum eſt aliorum accidentium, remanet Corpus Chriſti ſacramentaliter ſub illis, earum immutatione non obſtante. Hæc Concluſio per ea, quæ dicta ſunt, liquido comprobatur, ac præterea, quia tali apparitione factâ eadem exhibetur hoſtiæ reuerentia, quæ antea exhibebatur. Et in linteolis Darocenſibus in regno Aragoniæ cuſtoditur, adoratúrque Hoſtia carnea & ſanguinea ceu miraculum vetuſtiſſimum.

XXIII.

Hieronymus Teutonicus Ordinis Prædic. in Summa Theolog. to. 2. pag. 342. edit. Venetæ.

ANNO 1585.

Concluſio. In hoc Sacramento verè manet Chriſti Corpus, dimenſionibus quantitatis ibi remanentibus: Quidquid ibi vel ex parte ſpecierum, vel oculorum, miraculosè appareat videntibus.

XXIV.

Petrus Thyræus Societ. Ieſu, in Tract. de Apparit. Sacramentalibus, parte 2. c. 2. n. 29.

ANNO 1585.

Aſſertum ſeptimum. Quandocunque in dictis apparitionibus tanta in Sacramento mutatio facta non eſt in ſpeciebus Sacramentalibus, quin ſub ijs ſub-

ſubſtantia panis viníque poſſit eſſe, ſemper Chriſti caro ſanguíſque ſacramentaliter, verè, realitérq; adeſt. Non hoc mirum, quoniam, vt ſæpe dictum, in Sacramento nunquam Chriſtus eſſe deſinit, quamdiu non deſinunt eſſe ſpecies ſacramentales.

Et n. 32. Octauum aſſertum. Vt plurimùm in his apparitionibus, ſiue ſub peregrinis hiſce ſpeciebus (Carnis & Sanguinis) Chriſti carnem ſanguinémque eſſe. Quid ita? quia accidentia quæ mutari obſeruantur, vt plurimùm ſunt color atque figura: At hæc ex genere & claſſe communium ſunt, quæ non neceſſariò poſtulant ipſæ ſubſtantiæ, non verò ex claſſe propriorum, quorum mutatio ſubſtantiam deſinere facit.

Itaque hæ apparitiones fini ſuo conueniunt: nam vel fiunt ad confirmandam fidem præſentiæ Corporis Chriſti, atque ita conueniens eſt, vt illa perduret: vel ad ſolatium alicuius iuſti quod ſolidum ſatis non eſſet, ſi verâ ſuâ præ-

ſentiâ

ſentiâ Chriſtus abeſſet, ſolúmque in imagine adeſſet.

Atque huic ſententiæ fauere videtur Eccleſiæ conſuetudo, quæ Hoſtias conſecratas immutatas ſecundùm colorem carneum tantùm aut ſanguineum diu conſeruat, eas in honore habet, & vt verum Euchariſtiæ Sacramentum, ſub quo verè realitérque Chriſti Corpus eſt, veneratur, & adorat.

Porrò ex dictis iam finibus, qui Deo in apparitionibus propoſiti videntur, atque item ex conſuetudine cultûs, quo Eccleſia has ſpecies vt verum Sacramẽtum veneratur, facilè inducerer, vt crederem, nunquam (aut certè rariſſimè) tantam fieri (in Hoſtijs ſpeciem carnis aut ſanguinis præſeferentibus) mutationem accidentium Sacramentalium, quin ſalua ſub ipſis eſſe poſſit panis viníque ſubſtantia, ideóque verum Chriſti Corpus.

De rarefactione fortaſſis poſſit eſſe quæſtio, quando quæ ſub Sacramento

fuit

fuit quantitas, ita rareſcere videtur in his apparitionibus, vt ſubſtantia vini paniſque, ex quibus Sacramentum confectum eſt, hâc non poſſit contineri. Verùm nec tum dicerem, ſacramentaliter carnem Chriſti vel ſanguinem abeſſe: Potiùs tantam ſpecierum ſacramentalium rarefactionem negarem fieri, aut dicerem, ad priorem ſacramentalem quantitatem accedere externã, ex aëre aut denſiori aliqua materia coactam, & ſub priori quidem Chriſti eſſe Carnem & Sanguinem, ſub illa acceſſoria verò non item.

Et n. 58. Dictis addo, quòd quandocunque peregrina ſpecies apparet, ſub qua Chriſti eſt Caro, in illa totum eſſe Chriſtum, & in qualibet ipſius parte etiam minima eſſe totum. Nec hoc mirum vlli videri debet, cùm enim hic alio modo non ſit, quàm ſub ſpeciebus ſacramentalibus, vti ſub his totus eſt ſub quacunque ſpecie, & totus ſub cuiuſcunque ſpeciei parte, ita erit totus

ſub

ſub peregrina ſpecie. Non enim poteſt abeſſe Chriſtus, vbi ſunt ſpecies ſacramentales, quamuis etiam alteratæ, modò alteratio tanta facta non ſit, quæ ſubſtantiam panis & vini non patiatur, vt dictum eſt.

X X V.

Ludouicus Carbo à Coſtaciano, S. Theol. Profeſſor, in Compendio Summæ Theol. 3. p. q. 76. a. 8. pag. 884.

ANNO 1587.

Conclusio 3 Manentibus dimenſionibus, quæ ſunt fundamenta aliorum accidentium, remanet Corpus Chriſti ſub Sacramento: nam apparitione factâ eadem reuerentia exhibetur ei, quod apparet, quod non fieret, ſi ibi non eſſet verè Chriſtus.

Concluſio 4. Factâ apparitione quãdoque ſpecies ſacramentales totaliter manent, quandoque id quod eſt in eis principale, vt eſt dictum.

Con-

Concluſio 5. Quod cernitur, non eſt propria Chriſti ſpecies, ſed miraculoſa, vno ex dictis modis.

Concluſio 6. Dimenſiones panis & vini, mutatione factâ circa alia accidentia, manent vt diximus.

XXVI.

Diſputatio Theologica de Auguſtiſſimo Eucharistiæ Sacramento, Dilingæ habita, Præſide R. P. Ioanne Pelecio Soc. Ieſu.

ANNO 1588.

THeſis 61. Manet verò Chriſtus, non eò vſque tantùm, dum prioribus labris attingatur, vt Heshuſius voluit, neque toto tempore cœnæ duntaxat, vt Illyricus ſenſit, neque ad vnum vel alterum ſolùm diem, vt Kemnitius affirmauit, ſed tamdiu, quamdiu ſpecies panis & vini incorruptæ manent, & verò etiam, vt D. Thomas docet, cùm

vel Puer, vel digitus, vel Caro, aliunde in Sacramento miraculoſè appareat.

XXVII.

Auguſtinus Hunnæus de Sacramentis Eccleſiæ, axiomate 17.

ANNO 1588.

QVando verò per miraculum, vel Caro, vel Puer, poſt conſecrationem in hoc Sacramento conſpicitur, cùm id remanentibus Hoſtiæ dimenſionibus, & mutatione tantùm circa colorem & figuram, aut imaginationem videntis factâ contingat, credendum, veritatem Corporis Chriſti etiam ſub eiuſmodi accidentibus eſſe.

XXVIII.

Matthias Aquarius Ord. Prædicat. in Annot. ſuper 4. lib. ſent. Io. Capreoli. diſt. 13. concluſ. 4. & 5.

ANNO 1589.

QVarta Concluſio. Quando miraculosè

culosè apparet Caro vel Puer in hoc Sacramento, ſtante quantitate panis & vini ſubſtantiæ conuerſæ in Corpus Chriſti, manet ibi Corpus Chriſti ſacramentaliter.

Quinta Concluſio. Quando fit talis apparitio, Sacerdos tenetur tunc aliam Hoſtiam conſecrare, & ſumere, &c. Eſſet tamen illa (prior) Hoſtia adoranda vt antea.

X X I X.

Lælius Zecchus Canonicus Brixinenſis in Tract. aureo de Sacramentis, de Sacram. Eucbariſtiæ. c. 5. §. Octaua Propoſitio.

ANNO 1595.

EX his ſecunda ſubijcitur Concluſio. Dum manet quantitas dimenſiua, quæ fuerat panis, & eſt fundamentum aliorum accidentium, Corpus Chriſti remanet ſacramentaliter ſub illis, earum immutatione (miraculosâ) non

non obſtante. *Et paulò infrà.* In linteolis Aragoniæ tantùm eſt mutatio coloris & figuræ, & huiuſmodi accidentium, manente Corpore (Chriſti) ſub quantitate, & ideo adoratur adoratione latriæ.

X X X.

Seraphinus Capponius Ord. Prædicat. in Elucidat. S. Thomæ 3. p. q. 76. a. 8.

ANNO 1596.

CONcluſio 2. Quando talis apparitio contingit nõ tantùm ex parte videntium, ſed etiam aliqualiter ex parte rei (ita ſcil. quòd manentibus dimenſionibus, quæ priùs erant, ſit miraculosè quædam immutatio circa alia accidentia, puta figuram, colorem, aliáque huiuſmodi, vt videatur Caro, vel Sanguis, vel Puer) tunc remanet verè Corpus Chriſti in Sacramento Euchariſtiæ: patet ex terminis, ex hoc ſcil. quòd

quòd remanere dicuntur dimenſiones, quæ ſunt fundamenta aliorum accidentium.

Coroll. Ergo quamdiu manent dimenſiones panis & vini conſecrati, etiamſi non maneat figura ſeu color panis & vini, (dummodo talis figuræ ſeu coloris immutatio non ex corruptione naturali, ſed ex diuino miraculo fiat) tamdiu remanet ſub ipſis dimenſionibus verum Corpus Chriſti, & verus Sanguis.

Appendix. Ex art. habes primò, quomodo per rationem oſtendas, meritò eſſe inſinuatũ ab Eccleſiaſtica conſuetudine, quòd quando miraculoſæ fiũt apparitiones modo prædicto in Sacramento Euchariſtiæ, adhuc remanet ibi ſub ſpeciebus verus Chriſtus integer, qui priùs erat: Inſinuatũ autẽ ab ea eſt per hoc, quòd Eccleſia datis huiuſcemodi apparitionibus, & perſeuerat adorare Latriâ (vt priùs faciebat) illam Hoſtiam, & finitis illis apparitionibus

nibus non amplius conſecrat Hoſtiam ipſam ad communicandum aliquem. Verbi gratia. Fiat in Hoſtia iam conſecrata, præmiſſa in prima concluſione apparitio (quæ videl. contingat ſolùm ex parte videntium) Tunc tranſacto illius miraculoſæ apparitionis tempore, & conſequenter reuertente Hoſtiâ ad figuram & colorem panis, Sacerdos abſque noua conſecratione prædictæ Hoſtiæ communicat ſeipſum vel alium illâmet Hoſtiâ.

Quòd ſi fiat in Hoſtia conſecrata apparitio narrata in ſecunda concluſione (ſuprà) tunc poſtquam longiori tempore manſerit reſeruata in pyxide, ſi ad figuram colorémque panis reuertatur, idem fieri ſolet, id eſt, non amplius conſecratur (imò hæc conſecrationis reiteratio pro ſacrilegio magno reputaretur) & ad communicandum aliquem aſſumitur; niſi fortè in proteſtationem ſeu memoriam miraculi videatur expediens reſeruare illam ad

tempus. Interim tamen ſemper veneratione latriæ adoratur.

Ex hoc itaque, quòd abſque noua conſecratione circa illam ſic (vt diximus) ſe habet Eccleſia, declaratum relinquit factis ſuis, quòd in tali Hoſtia erat verè Corpus Chriſti etiam tempore apparitionum illarum, ita quòd nunquam eſſe deſijt ſub dimenſionibus Sacramenti: quemadmodum ex eo quòd non baptizat hæreticos redeuntes ad Eccleſiam, oſtendit, quòd character Baptiſmi nunquam in eis eſſe deſijt.

X X X I.

Gregorius de Valentia Societ. Ieſu, to. 4. diſp. 6 q. 4 puncto 1. pag. 1119. edit. Ingolſtad.

ANNO 1598.

TErtiò dicendum eſt totum Chriſtum, & quoad accidentia eſſe in hoc Sacramento tamdiu, quamdiu ſpecies manent incorruptæ, ſaltem quoad

earum

earum quantitatem, quæ eſt hîc accidens præcipuum, & fundamentum reliquorum,&c. *Et paulò inferius.*

Porrò quia tamdiu manet hîc Chriſtus, quamdiu ſpecies incorruptæ manent,rectè inde colligit D. Thomas art. 8. tum etiam, cùm vel Puer, vel aliquid eiuſmodi in Sacramento miraculosè apparet, manere Chriſtum in illo. Ratio eſt,quia vel hæc apparitio fit per ſolam immutationem miraculoſam ſensûs, & tunc nihil in ſpeciebus ipſis mutatur; vel fit per mutationem in ipſo obiecto, quòd tunc quidem accidit, quando apparens figura diu permanet, & eadem omnibus apparet: Et in eo caſu non eſt ipſa Caro Chriſti illud,quod apparet, manet enim diu, & ſeruari etiam ex conſilio Epiſcoporum in pyxide ſolet, quod nefas eſſet, inquit S. Thomas, Chriſto ipſi facere ſecundùm propriam ſpeciem. Quare putandum eſt, tunc ſolùm fieri mutationem accidentium, vt coloris, figuræ, manere autem

incorruptam quantitatem, atque adeò etiam Chriſtum in Sacramento.

XXXII.

Franciſcus Suarez Societ. Ieſu, in 3. p. D. Tho. q 76. a. 8. diſp. 55. ſect. 3.

ANNO 1600

HOc itaque poſito principio ſolum ſupereſt examinare, an ad prædictas apparitiones neceſſaria ſit tanta qualitatum immutatio, vt ſub eis non poſſit ſubſtantia panis conſeruari: quod à nobis certè difficile diiudicari poteſt; nam licèt nos per accidentia cognoſcamus ſubſtantiam, & per accidentium mutationem ſubſtantialem tranſmutationem factam eſſe coniectemus, difficile tamen eſt, præſertim in his rebus inanimatis, diſcernere, quando accidẽtalis tranſmutatio ſit tanta, vt ſubſtantialem etiam habeat ſecum coniunctã: vtendo tamen coniecturâ veriſimilius

vide.

videtur, regulariter non fieri in his apparitionibus tantam mutationem accidentium panis, quæ ad ſubſtantiam corrumpendam ſufficiat: vnde conſequenter fit, manere hîc Corpus Chriſti ſacramentaliter poſt prædictam apparitionem, vt D. Thomas hîc ſentit. Probatur: Quia mutatio in accidentibus communibus non ſufficit ad corrumpendam ſubſtantiam, niſi fiat in proprijs: ſed hîc præcipua immutatio fit in accidentibus communibus, vt ſunt color, qui poteſt eſſe diuerſus in indiuiduis eiuſdem ſpeciei, & in eodem faciliùs mutari poteſt, quamuis non omnino diſſoluatur temperamentũ primarum qualitatum ad conſeruandam ſubſtantiam neceſſarium, vt tractat Soto *diſt. 10. q. 1. a. 1.* vbi refert, etiam per artem id ſæpe fieri; & idem facilè eſt in figuræ mutatione: & hæc duo ferè ſufficiunt, vt appareat Caro, Sanguis, & ſimilia: accidentia autem magis intrinſeca & propria, ſunt odor & ſapor,

quæ non neceſſariò mutantur propter has apparitiones.

XXXIII.

Gabriel Vaſquez Societ. Ieſu, in 3. p. D. Tho. q. 76. a. 8. pag. 256. edit. Ant.

ANNO 1600.

Concluſio eſt; Corpus Chriſti reuera eſt in hoc Sacramento, quando apparet Caro vel Puer in eo, ſiue hoc appareat per ſolam mutationem oculorum abſque immutatione ſpecierum, ſiue fiat immutatione ſpecierum permanente eâdem quantitate.

Et pag. 257. n. 32. Nam quamdiu manet eadem quantitas (non dico eiuſdem menſuræ, ſed eadem ſecundùm numerum) quantumuis mutentur cætera accidentia, Chriſtus ibi manet. Et ratio eſt manifeſta, nam ſi eadem quantitas numero maneat, ſubſtantia etiam panis & vini maneret; quamdiu autem

ſub.

ſubſtantia panis & vini maneret, Chriſtus etiam ſub ea quantitate & accidentibus manet.

XXXIV.

Archangelus Rubertus Canonicus Regul. in Opere Sacram. diſt. 10. pag. 102. col. 1.

ANNO 1609.

EX quibus patet, tam in apparitione prioris generis, quàm poſterioris, ſub Sacramento verè eſſe Corpus Chriſti.

XXXV.

Iodocus Lorichius SS. Theol. Doctor & Profeſſor in Acad. Friburg. Briſgoiæ, in Theſauro nouo Theolog. V. Sacram. Euchariſtiæ n. 13.

ANNO 1609.

QVartò, ſi ſpecies Sacramenti miraculosè transformantur in Carnē, vel

vel puerum, non eſt putandum, illa eſſe veram Carnem aut propriam perſonam Chriſti, ſed eſſe ſingulariter formata à Deo ad oſtendendam veram exiſtentiā Chriſti ſub ſpeciebus Sacramenti. Manet nihilominus Corpus Chriſti verum ſub transformata ſpecie vt antea, abſq; aliqua ſui mutatione, & propterea ipſum (non quod apparet in ſpecie trāſformata) eſt adorandum. Ceterùm transformationes illæ quandoque verè fiunt in ſpeciebus, vt cùm durant & aſſeruantur: quandoque repræſentantur tantùm iſtæ transformationes in oculis videntium, diuinâ virtute, eorum ſcilicet qui non credunt, & propterea nō omnibus videntibus ſimiliter apparent, nec diu durant: ſed vtvt accidant, orandus eſt Devs, vt reſtituat Sacramentum ſuæ priſtinæ formæ, vt ſumi poſſit: ſin, debet aſſeruari.

XXXVI.

XXVVI.

Michaël Zanardus parte 1. Directorÿ Theol. de Sacram. Euchariſt. c. 1.

ANNO 1612.

DEcimum ſeptimum, quando in Hoſtia Chriſtus ſub aliqua forma paruuli, vel ſub altera forma videtur, vel ex Hoſtia egreditur Sanguis, non eſt penſandum, Carnem ibi viſam, vel Sanguinem, eſſe veram Chriſti Carnem in ſe, vel Sanguinē, cùm contingat, quòd illa Caro & Sanguis deſinat, quod non poteſt de vera Chriſti Carne, & de vero eius Sanguine verificari, vnde vocatur Caro miraculoſa & Sanguis miraculoſus. At quoniam hæ apparitiones fiunt ad confirmandam fidem noſtram, ſcil. veræ præſentiæ & exiſtentiæ Chriſti in Hoſtia, ideo adorantur adoratione Latriæ, & iudicatur quòd ſub illis ſpeciebus Carnis & Sanguinis, exiſtat verum Chriſti Corpus, ſicut & in Hoſtia.

XXXVII.

Iacobus Bayus S. Theol. Doctor, & Louan. Academiæ Cancellarius, lib. 2. de Vener. Euchar. Sacram. cap. 11.

ANNO 1612.

IN altero apparitionis modo, vbi coloris & figuræ, aliorúmque nonnullorum quantitatis accidentium mutatio fit, remanente tamen ſapore, vi confortandi, & alijs quibuſdam proprietatibus, quibus ſaluis conſeruari natura panis etiam poſſet, fatendum quoque eſt, non obſtante admirandâ coloris & figuræ immutatione, Chriſtum ſub quantitate incorrupta ſacramentaliter præſentem remanere, donec tanta ſpecierum mutatio fiat, vt ad corrumpendum panem ſufficeret: ideóque talem Hoſtiam Carneam vel Sanguineam rectè cultu Latriæ adorari.

XXXVIII.

Henricus Henriquez Societ. Ieſu, in Summa Theol. Mor. lib. 9. de Miſſæ ſacrificio, cap. 38.

ANNO 1613.

INterdum circa alteram aut vtramq; ſpeciem contingit inuſitatum miraculum, vt ſi omnibus videntibus appareat Caro Sanguinea, aut Puer, aut ſub ſpeciebus vini videatur rubeus Sanguis. Interdum eadem ſpecies adſtantibus repræſentatur ſub diuerſis figuris, aut mouens ſeipſam. Nec ſine temeritate negari poteſt, contigiſſe miracula circa ſpecies Euchariſtiæ, nec eſt fictio mendacij, dum ea repræſentatio ordinatur in teſtimonium veritatis de reali præſentia Corporis Chriſti, aut ad ſignificandum myſterium. Tamdiu manet Corpus Chriſti ſub ſpeciebus ſic alteratis, quamdiu maneret ſubſtantia panis: vt quando longo tempore apparet

omnibus eadem quantitas rotunda panis, aut ſi in ſpeciebus vini fiat accidentalis alteratio coloris ſanguinei, aut emittunt ſplendorem, aut Angeli Euchariſtiam adorantes apparent.

XXXIX.

Alexander Peſantius Theologiæ D. in 3. p. S. Thomæ q. 76. a. 8.

ANNO 1617.

Concluſio. Manentibus dimenſionibus, quæ priùs fuerant, fit miraculosè quædam immutatio circa alia accidentia (puta figuram, colorem, & alia huiuſmodi) vt videatur Caro vel Sanguis, aut etiam Puer: & hæc non eſt deceptio, quia fit in figuram cuiuſdam veritatis, ſcil. ad oſtendendum per hanc miraculoſam apparitionem, quod in Sacramento eſt verè Corpus & Sanguis Chriſti. Et ſic patet, quòd remanentibus dimenſionibus, quæ ſunt fundamenta aliorum accidentium, rema-

net

net verè Corpus Chriſti in hoc Sacramento.

Et paulo infrà in commentario ad Textum.

Secundò, quamdiu manet quantitas dimenſiua, quæ fuerat panis vel vini, quæque eſt fundamentum aliorum accidentium, manet ſub illis Corpus & Sanguis Chriſti.

X L.

Franciſcus Collius, S. Theol. Doctor, de ſanguine Chriſti l. 4. diſp. 9. cap. 10. pag. 716.

ANNO 1617.

ILlud igitur, quod ad præſentē quæſtionem attinet, in hiſce miraculoſis apparentis tantummodo ſanguinis euentibus, nunquam deſiderari verum Chriſti ſanguinem. Hæc autem vna eſt & ſola huius opinationis noſtræ cauſa, quòd hæ ſanguinis & Carnis quæ viſuntur figuræ, non eam habent cum vera

panis & vini ſubſtantia, ſi ibi adeſſet, repugnantiam & oppoſitionem, quæ pellere poteſt neceſſarias ad ſanguinem Chriſti ſub accidentibus vini conſeruandum qualitates. Cùm autem per totum id temporis ſpatium vera ſanguinis Chriſti præſentia adſit in ſpeciebus vini, per quod eæ reſident affectiones, quæ ad vini ſubſtantiam ex ſe conſeruandam à natura ordinantur, totóque apparitionum tempore vigeant in calice præcipuæ vini affectiones, nulla eſt ratio, cur ſub miraculoſi Sanguinis inuoluero verum Chriſti Sanguinem adeſſe negemus.

X L I.

Franciſcus de Pitigianis Ord. Minorum, de Obſer. in 1. p. ſummæ Theolog. in 4. lib. ſent. diſt. 10. q. 9. a. 2. pag. 426.

ANNO 1617.

SEcunda propoſitio. In his apparitioni-

tionibus regulariter loquendo non ſit tanta mutatio accidentium panis, quæ ad ſubſtantiam corrumpendam ſufficiat, atque adeò manet hîc Corpus Chriſti ſacramentaliter poſt prædictam apparitionem: probatur: Quòd mutatio in accidentibus communibus non ſufficit ad corrumpendam ſubſtantiam, niſi fiat in proprijs: ſed hîc mutatio præcipua fit in accidentibus communibus, vt ſunt color, qui poteſt eſſe diuerſus in indiuiduis eiuſdem ſpeciei, & in eodem indiuiduo faciliùs mutari poteſt, quamuis non omnino diſſoluatur temperamentum primarum qualitatum ad conſeruandam ſubſtantiam neceſſarium, vt docet Sotus *d. 10. q. 1. a. 8.* vbi refert etiam per artem id ſæpe fieri. Et idem facile eſt in figuræ mutatione: & hæc duo ferè ſufficiunt, vt appareat Caro, Sanguis, & ſimilia: accidentia autem magis intrinſeca & propria ſunt odor & ſapor, quæ non neceſſariò mutantur propter has apparitiones, & multò minus

nus è conuerſo ſentiuntur ibi ſimiles proprietates Carnis aut Sanguinis. &c.

Et paulò inferius. Tandem huic ſententiæ videtur conſentanea Eccleſiæ conſuetudo, quæ Hoſtias conſecratas mutatas in colore carneo & ſanguineo diù conſeruat & veneratur, vt verum Euchariſtiæ Sacramentum. Et ſi dicatur, quòd interdum tam diuturno tempore conſeruantur, vt in eis non poſſit ſubſtantia pânis conſeruari ſine corruptione: Reſpondetur, fortaſſe interdũ diuinitus conſeruantur ſicut aliæ Sanctorum Reliquiæ, maximè quando eodem modo, & eiuſdem omnino coloris ſemper apparent: fortaſſe etiam ſubſtantia panis, ſi ab extrinſecis corrumpentibus multùm actiuis reſerue tur, longo tempore durare poteſt.

XLII.

XLII.

Maximilianus Sandæus Societ. Ieſu, in Theſibus Theol. de SS. Euchariſtia habitis in Vniuerſitate Herbipolenſi.

ANNO 1620.

THeſ 18. Si Corpus Chriſti deſinat eſſe Sacramentaliter præſens, nil acquirit, ſed perdit præſentiam Sacramentalem mutatione priuatiuâ loci ſeu quaſi locali. Quin Chriſtus aliquando in Euchariſtia appareat ſub forma Carnis aut Sanguinis, aut Pueri. &c. negari non poteſt. Sed quibus modis id fiat, non ita certum ac notum videtur. Inter quos primus eſt, dum ſine mutatione ſpecierum ſacramentalium ſolæ potentiæ, organum, aut medium: alter, dum obiectum ſeu ſpecies ſacramentales immutantur.

Ad diſcernendum autem hoſce modos, ſignum eſto, ſi eodem tempore vni

vel

vel alteri apparet talis immutatio, & non amplius, vel immutatio illa breui tempore durat, & ſpecies conſecratæ iterum ſtatim videntur; & ſic prioris modi erit immutatio; ſi ſecus ſe habeat, alterius modi. Quando in apparitionibus fit tantùm mutatio ex parte ipſarum ſpecierum, certum tunc eſt, manere Chriſtum præſentem ſacramentaliter: quotieſcunque fit tanta in qualitatibus harum ſpecierum immutatio, vt ſub eis non poſſit conſeruari ſubſtantia panis & vini, non manet ſub eis Chriſtus, ſiue maneat eadem quantitas ſiue non. Veroſimilius tamen eſt, in hiſce apparitionibus non fieri tantam mutationem accidentium, quæ ad ſubſtantias panis & vini corrumpendas ſufficiat.

XLIII.

X L I I I.

Petrus Alagona Societ. Ieſu, in Compendio Summæ D. Tho. 3 p. q. 76. a. 8.

ANNO 1620.

AN, quando in Sacramento apparet miraculosè Caro, vel Puer, ſit ibi verè Corpus Chriſti? Reſpondeo, ſi apparitio fit in oculis videntium, quia eorum oculi immutantur, tunc Chriſtus eſt in Sacramento; ſi mutatio fit in Sacramento, ſi remanent ſpecies, eſt Chriſtus, ideo adoratur.

X L I V.

Stephanus Fagundez Societ. Ieſu, in 3. Eccleſiæ præceptum lib. 5. cap. 7. n. 14.

ANNO 1624.

SEd quæres ad finem huius præcepti, quid agendum ſit, quando apparent huiuſ-

huiuſmodi mutationes in Euchariſtia? Reſpondeo inprimis, eſſe illud fruſtulum Carnis, aut illam quantitatem Sanguinis in pixide includendam, & ſummâ veneratione obſeruandam in ſacro ac decenti loco, vt coli, reuereri, & adorari poſſit à Fidelibus cultu Latriæ, vt dixi.

X L V.

Martinus Bonacina S. Theologiæ D. diſp. 4. q. 3. puncto 6 §. 3. n. 3. De Euchariſtia.

ANNO 1625.

TErtiò ſequitur, quando fiunt apparitiones miraculoſæ in Hoſtia, quibus poſitis remaneret ſubſtantia panis, ſub ſpeciebus remanere Corpus Chriſti: vt ſi appareat Caro vel Sanguis quâ apparitione factâ ſalua remaneret panis ſubſtantia, tunc enim remanet etiam Corpus Chriſti. Vtrùm verò Caro vel Sanguis qui ſub ſpeciebus apparet,

ret, adorandus ſit, patet ex dictis de adoratione, adorandum eſſe.

X L V I.

Martinus Becanus Societ. Ieſu, to. 6. Summæ Theolog. Schol. p. 3. tr. 2. cap. 19. q. 10. num. 3.

ANNO 1625.

SEcunda Concluſio. Quando autem mutatio fit ex parte ſpecierum ſacramentalium, tunc diſtinguendũ eſt: nam ſi tanta fiat mutatio in qualitatibus illarum ſpecierum, vt ſub eis non poſſit ſubſtantia panis & vini conſeruari, tunc non manet ſub eis Chriſtus, ſiue maneat eadem quantitas, ſiue non. Si autem non fiat tanta mutatio, tunc manet ſub eis Chriſtus.

XLVII.

X L V I I.

Adamus Tannerus Societ. Ieſu, to. 4. Theolog Schol. diſp. 5. de SS. Euchar. Sacram. q. 5. dub. 5. num. 76. & 87.

ANNO 1627.

76. Aſſertio IV. Quotieſcunque (iuxta priorem apparitionis modum) fit tanta mutatio in qualitatibus ſpecierum ſacramentalium, vt ſub eis non poſſit naturaliter conſeruari ſubſtantia panis & vini, non manet ſub illis Corpus Chriſti ſacramentaliter, etſi maneat eadem quantitas: ordinariè tamen manente eâdem extenſione non ſolet fieri tanta mutatio, ac proinde hoc caſu regulariter cenſendũ eſt, ſub ſpeciebus permanere Corpus Chriſti.

78. Nec diſſentit S. Thomas, qui ad 2.ª ſenſum partis eſt intelligendus, quæ communis eſt apud citatos, & probatur: Tum quia hoc caſu regulariter nil

cogit exceptionem facere à communi regula, præſertim cùm nulla ſubſtantialis mutatio facilè accidat abſque noua condenſatione aut rarefactione materiæ, quæ in ipſos etiam ſenſus incurrat, adeóque ipſam ſpecierum quantitatem aliquo modo afficiat: Tum quia hoc ad finem talium miraculorũ, nempe veritatem Corporis Chriſti in Sacramento probandam, eſt accommodatius, ſicut & ipſi etiã fidelium ſenſui, & quaſi communi praxi Eccleſiæ, quæ tales ſpecies tanquam Corpus Chriſti continentes venerari ſolet.

XLVIII.

Didacus Nugnus Cabezudo Ord. Prædicat. in 3. p D. Thomæ q. 76. a. 8. difficultate 1. vbi quærit.

ANNO 1630.

VTrùm vera ſit tertia Concluſio D. Thomæ, nimirum: Quando autẽ manet ibi quantitas, etiamſi fiat mutatio

tio in alijs accidentibus, manet ibi Corpus Chriſti? Et reſpondet, hanc Concluſionem D. Thomæ eſſe certam.

XLIX.

Anaſtaſius Vocbetius Ordinis Canonicorum Regularium S. Auguſtini, in Thaumaturgo Eucbariſtico, ſiue Hiſtoria Miraculoſi Sacramenti Auguſt. p. 1. §. 19.

ANNO 1637.

EX his vides mi Lector, Maiores noſtros, eruditos, pióſque viros, de Miraculoſo ſæpius nominato Sacramento, ob ſpecies miraculosè ſanguineas, tótque annorum centurijs inuariatas, ſenſiſſe ſemper & iudicaſſe, Chriſti Corpus ibi verè ac realiter, ſicut in alia quauis conſecrata Hoſtia, contineri, conſpirantibus omnium Theologorum veterum ac recentiorum (ſi vnum alterúmue ex Neotericis excipias) ſententijs: ídque etiam Eccleſiæ ſacroſan-

ctæ

ctæ praxim, ſenſumque fidelium obtinuiſſe, ita vt à multis iam ſeculis, pluribúſque in locis, eiuſmodi miraculoſæ Hoſtiæ inſtar veri Sacramenti adorentur. Imò diuina bonitas & prouidentia eidem ſæpe dicto Miraculoſo Sacramento exhibitum latriæ cultum & luculentis frequēter irrefragabilibus miraculis, vt infrà dicam, creberrimè confirmauit apud eos, qui ad illud non aliâ fide, quàm veriſſimè eo contineri Corpus & Sanguinem Saluatoris noſtri, acceſſerunt. Quam fidem decipi, & erroneum hunc ſenſum (ſi erroneus tamen eſſet) tam crebris veríſque miraculis à DEO foueri, repugnaret diuinæ prouidentiæ ac bonitati.

L.

Henricus VVangnereck Soc. Ieſu, nunc Academiæ Dilinganæ Cancellarius, in Additionibus ad Tractatum Petri Tyræi de Apparit. Sacram. p. 2. c. 2. pag. 57.

ANNO 1640.

CVm verò ſacræ Hoſtiæ Carneo ſolùm aut Sanguineo colore diuinitus tinctæ, aut figurâ aliquâ vel imagine miraculoſâ veluti depictæ apparent, nullo alterius mutationis, quæ ſubſtantiæ panis aut vini repugnet argumēto; tam certum eſt, Chriſti Corpus ſub ſpeciebus ſacramentaliter contineri, vt quamdiu illæ inuariatæ apparent, id abſque temeritate negari non poſſit. Confirmant id rationes pro aſſerto octauo (Petri Tyræi) allatæ.

Vſus præſertim & ſenſus Eccleſiæ; omniúmque paſſim fidelium, quem in re tanti momenti tam grauiter decipi, vt pro

pro Sacramento Corporis Chriſti illud, vnde Chriſtus abeſt, pluribus etiam ſeculis adoretur, non conuenit diuinæ bonitati ac ſapientiæ, quâ Eccleſia regitur. Confirmat hunc vſum ac ſenſum D. Thomas *3. p. q. 76. a. 8.* in argumento, ſed contrà: Tali apparitione factâ, ait, eadē reuerentia exhibetur ei, quod apparet, quæ primò exhibebatur. Quod quidem non fieret, ſi non verè ibi eſſet Chriſtus, cui reuerentiam latriæ exhibemus. Ergo etiam tali apparitione factâ Chriſtus eſt ſub hoc Sacramento.

Idem affirmat in *4. d. 10. q. 2. a. 4.* vbi ad ſecundam quæſtionem, quæ erat de his apparitionibus, reſpondet: Quod abſque omni dubio dicendum eſt, illud quod ibi apparet, eſſe verum Corpus Chriſti, aliàs non adoraretur.

Eundem ſenſum & vſum fidelium, præter Authorem huius Tractatûs (de Apparitionibus Sacramentalibus) tradunt & amplectuntur præcipuè Doctores Hiſpani. Sic in linteolis Darocenſi-

bus (ſiue Dorchorenſibus) in regno Aragoniæ cuſtodiri & adorari Hoſtias cruentas à trecentis annis,aſſerunt Sot. *d. 10. a. 8.* Ledeſma *q. 17. a. 8.* & alij apud Henriquez *l. 9. c. 38. à litt. A.* qui idem affirmat de ſimilibus miraculis Abulæ & Santarenæ in Luſitania exiſtentibus. *Ludouicus Granatenſis lib. 2. in ſymbolum fidei p. 2.* de noſtræ ætatis miraculis, refert de linteolis Darocenſibus ſcriptum eſſe librum ad Carolum V. Imperatorem, & Imperatricem eius vxorem, qui ea viſerunt, & Dominum,qui in illis eſt,adorârunt. Sub finem verò addit: *Vt illius Miraculi veritas comprobetur, nullis niſi oculis teſtibus opus eſſe, eorum ſcilicet, qui quotannis ea Corporali ſexponi cernunt, vt in illis Deum, qui in illis eſt, adoretur.*

Qui Hiſpanorum ſenſus tanto maioris authoritatis eſſe debet, quanto ſeueriùs & accuratiùs S. Inquiſitio fidei ibi exercetur, quæ hoſtiarum adorationem & cultum SS. Euchariſtiæ debitũ nunquam

quam improbauit: eorum potiùs ſiniſtram opinionem damnatura, qui rem tam conteſtatam in dubium vocarent.

Accedunt multis locis miracula & numero plurima, & magnitudine memorabilia, à DEO ad eiuſmodi Hoſtiarũ cultum vel augendum, vel confirmandum edita. Certè ex ijs, qui beneficium vel opem talibus locis poſtulant, eámq; diuinitus accipiunt, nemo reperietur, qui non exiſtimet, ſe ab ipſo Chriſto ſub miraculoſis ſpeciebus latente beneficium & poſtulâſſe & accepiſſe. Sinere autem DEVM tot mortales, in adorando Sacramento, quod Sacramentum non eſt, pluribus ſeculis decipi, eorúmque errorem miraculis confirmare, diuinæ prouidentiæ repugnat, quíque id pertinaciùs affirmaret, omnem miraculorum energiam in rebus fidei noſtræ ſtabiliendis magnopere eneruaret.

Sed veritati miraculoſi Sacramenti, ſub ſpeciebus Carnem aut Sanguinem præſeferentibus, nonnemo ex recen-

 tiori.

tioribus nebulas obijcit: Inde inprimis, quòd ſi hæ apparitiones ſint perpetuæ, ob temporis diuturnitatem ſpecies ſacramentales neceſſariò deſinant; Deinde ſpecierum talium corruptio non tam ex mutatione coloris & figuræ, quàm ſaporis & odoris diſcernitur, nec legitur vllâ experientiâ deprehenſum fuiſſe, poſt talem mutationem factam permanſiſſe ſaporem aut odorē panis. Tertiò, Sacramentum hoc eſt inſtitutū, vt à fidelibus ſumatur, atqui omnes horremus ſumptionem Sanguinis & Carnis; repugnat ergo fini Sacramenti talis mutatio, ſi perpetua ſit, adeóque non eſt probabile, Chriſtum ibi ſacramentaliter permanere. Denique veriſimilius eſt, Eccleſiam non aliter exponere Sacramentum ita mutatum venerandum, quàm exponit S. Crucem venerandam, ita vt exterior omnis cultus Sacramento ita mutato idem exhibeatur, qui ſolet vero Sacramento, & interior cultus, qui propriè eſt latria, tranſeat

ſeat in Chriſtum, qui ibi ſaltem eſt vt in ſigno, atque ita cum illa re aliquo modo vnum quid componit: quod vel inde patet, quia ſolemus Sacramentum ita mutatum etiam poſt ducentos annos eodem modo adorare, cùm tamen iam conſtet, ibi non remanere accidentia panis ad eius conſeruationem neceſſaria.

Ita vnus & alter recentiorum editis in S Thomam commentarijs philoſophantur, quibus ex veteribus ſuffragatur nemo, neque ipſe quidem Durandus, quem producunt: nam etſi is *diſt. 10. q. 4.* doceat, ſubſtantiam panis ſecundùm naturam non poſſe manere ſub accidentibus Carnis aut Pueri, ideóque non videri, quòd factá tali immutatione circa ſpecies Sacramenti remaneat in eis Corpus Chriſti, neque adorandas eſſe tales ſpecies ſub prædicta apparitione tanquam verum Corpus Chriſti, ſed ſolùm tanquam reliquias nobis miraculosè oſtenſas: mox tamen addit; ſe-

cus fore, ſi circa ſpecies fieret immutatio de calido in frigidum, vel de albo in nigrum, propter quam immutationem ſubſtantia panis vel vini non deſineret eſſe ibi: quia propter conſimilem mutationem non deſineret eſſe ibi Corpus Chriſti. Sed nos conſimilem ſolùm mutationem, coloris nimirum aut figuræ, hîc fieri ponimus, non ergo nobis repugnat Durandus. Nunc argumenta diluamus.

Ac primò quidem verum non eſt, ſolâ diuturnitate temporis ſpecies panis neceſſariò deſinere: ſubſtantia enim panis, qualis cernitur in Hoſtijs, eſt admodum tenuis, ſicca, & talis temperiei, vt longiſſimo tempore perduret, imò & integris ſeculis: Probant id ſigilla ex eâdem, quâ Hoſtiæ conficiuntur, materiâ litteris impreſſa, chartæ itidem inde conglutinatæ. Retinent ſigilla eandem ſpeciem poſt centenos licèt annos, & cohærent ſimiliter chartæ, nullo ſubſtantialis corruptionis indicio in ſigillo

Digitized by Google

gillo aut glutino apparente. Neque ergo miraculoſa eiuſmodi ſpecies, integris licèt ſeculis, neceſſe eſt corrumpi, cùm præſertim magnâ curâ aſſeruantur, & ab intrinſecis agentibus ſtudioſè conſeruantur, vt fieri ſolet circa eiuſmodi Hoſtias miraculoſas, quas fideles inſtar veri Sacramenti adorant.

Diſcernuntur verò panis ſpecies rectè viſu & tactu, neque opus eſt guſtu. Ex durabili enim panis natura iudicandum eſt, accidentia eius conſeruationi neceſſaria perdurare, niſi alia præter colorem & figuram mutationis argumenta appareant. Odor in Hoſtijs, ob earum tenuitatem, vix eſſe ſolet perceptibilis; vt adeò in ſcirpo nodum quærant iſti, qui ad ſignum vocant vix perceptibile, & ad ſaporem, cuius guſtus ſi neceſſarius foret, ſapientia veterum & ſolicitudo fidelium, in re tanti momenti exploranda, conſilium heri natum non expectaſſet.

Sed vanum quoque eſt, perpetuitas

eiuſmodi apparitiones ſpecierum Sanguinei & Carnei coloris repugnare fini Sacramenti. Non repugnat ſumptioni, quod veritatem Corporis Chriſti in Euchariſtia confirmat, ideóq; ad eandem maiori fide, pietatéque percipiendam, & Chriſti Domini præſentiam ardentiùs venerandam efficaciter impellit, licèt ipſa Hoſtia miraculoſa non ſumatur, ſed ex vſu Eccleſiæ ſeruari ſoleat, de quo tamen præceptum nullum extare aſſerit *Suarez 3. p. to. 3. d. 55. ſ. 4. in l. c. S. Thomæ.* Si ob horrorem ſumptioni repugnantem Chriſtus deſinit eſſe ſub eiuſmodi ſpeciebus, deſinet itidem, ſi illæ aliquo caſu veneno inficiantur, cùm magis illud horreamus, quàm carnem & ſanguinem: hoc autem aſſerendum non eſt, ergo neque illud.

De mente Eccleſiæ exponentis Sacramentum ita mutatum venerandũ, credimus S. Thomæ, non interpreti, qui hac in re eum, quem interpretari deberet, aut non legit, aut ſine cauſa ab eo diſſen-

diſſentit. *S. Thomas ll. cc.* conſtanter aſſerit, & velut indubitatum ſupponit, tali apparitione factâ eandem reuerentiam exhiberi ei, quod apparet, quæ primò exhibebatur, talem nimirum, quæ vero Sacramento, non S. Cruci debetur. Idem confirmat vſus & ſenſus Hiſpaniæ, corúmque Doctorum, quos ſuprà retulimus, vt de alijs Prouincijs & Doctoribus ſileamus.

Sed vnde amabò conſtat, poſt ducentos aut trecentos annos non remanere accidentia panis, ad eius conſeruationẽ neceſſaria? an ex argumentis allatis? ſed hæc nihil veri aut ſolidi continent, vti monſtratum eſt. Illud ergo potiùs conſtat, cùm Corpus Chriſti ſub ſpeciebus ſacramentalibus manere, quamdiu ſubſtantiæ panis & vini conſeruandæ idoneæ ſunt, Theologi Catholici conſentiant, neque color Carneus aut Sanguineus dictis accidentibus repugnet, temerè negari Chriſti ſub ijs ſacramentalem præſentiam, poſt qualecunque

annorum ſpatium, modò nulla ſpecierum mutatio ſubſtantiæ panis aduerſa obſeruata fuerit.

Ex quibus denique colligimus, ſub ſacra Hoſtia, quæ rubeâ Carnis ſpecie, Auguſtæ in templo S. Crucis Ordinis Canonicorum Regularium S. Auguſtini, religiosè colitur, verè Corpus Chriſti contineri, eidémque cultum latriæ SS. Sacramento debitum negari non poſſe. Quod omnia argumenta hactenus adducta confirmant.

Senſus, inquam, & vſus fidelium populorum, qui annis amplius quadringentis, memoratam SS. Hoſtiam pro vero Sacramento coluerunt, & adorârunt: ſuffragantibus, imò præeuntibus non ſolùm Auguſtanis, ſed aliorũ quoque locorum Epiſcopis, Archiepiſcopis, Cardinalibus, Legatis Apoſtolicis, qui Miraculoſi huius Sacramenti (vti appellant) cultum conceſſis varijs indulgentijs amplificauerunt, vt refert

R. P.

R. P. Anaſtaſius Vochetius *parte 1. Thaumaturgi Euchariſtici §. 11.*

Accedit miraculorum hodiéque perdurans atteſtatio, quam ad noſtra tempora perduxit idem R. Pater, dignus S. Auguſtino filius, & Miraculoſi Sacramenti cultor eximius, cuius libellum hac de re ſi perlegas, deprehendes, quæ diuinitus beneficio SS. illius Hoſtiæ acciderunt, nõ aliâ fide aut fiduciâ, quàm in Chriſtum ſacramentaliter hîc præſentem fuiſſe poſtulata & impetrata, DEVMque hoc veluti teſtimonio dicti Sacramenti veritatem fidelium mentibus altiùs infixiſſe. Quare temerarium foret exiſtimare, fideles in hoc Sacramento adorando, pio licèt errore duci, cùm illud diuina prouidentia illi ciuitati, vbi hæreſis SS. Sacramento infeſtiſſima, ſymbolum ſuum aliquando editura erat, in fidelium ſolatium, veræque fidei confirmationem, tanto antè conceſſerit.

Nec quidquam aduerſus id, quod di-

ximus, afferri poteſt, quod non ex his reſponſis dilui queat. Nam ſi dixeris Hoſtiæ incrementum, quo initio eouſque intumuit, vt ceram cui incluſa erat rumperet, teſte R. P. Vochetio 1. p. § 5. maioris mutationis argumentum eſſe, quàm ſubſtantia panis ferat: dicimus id prodigioſæ rarefactioni adſcribendum, quæ tanta non fuit, vt ſaluâ ſubſtantiâ panis fieri non poſſet. Nam ſæpe in ollis efferueſcentibus videmus liquores impoſitos ita rarefieri, vt duplo vel triplo maiorem locum obtineant, quàm antea: ídque ſine vlla ſubſtantiali corruptione, vt rectè ille idem colligit, qui apparitionis ſacramentalis perpetuitatem ſuprà impugnauit.

Confirmat denique Miraculoſi Sacramenti Auguſtani veritatem, authoritas Vlſcalci Epiſcopi Auguſtani, qui illud poſt ſufficientem vtique explorationem Cryſtallo incluſum publicæ venerationi expoſuit, Deo factum multis miraculis comprobante, quæ refert in

ſuo

ſuo Thaumaturgo R. P. Vochetius. Ex eo autem tempore per trecentos amplius annos nulla cryſtalli reſeratio, nulla ſpecierum immutatio vnquam facta dignoſcitur, quemadmodum publico Inſtrumento Anno 1505. die 2. Decembris edito confirmârunt Iudices Curiæ Auguſtanæ: Neque proximis his centum annis vel minimum mutationis argumentum deprehenſum eſt. Quare meritò Illuſtriſſimus ac Reuerendiſſimus Princeps ac Dominus, Dominus Henricus, Dei gratiâ Epiſcopus Auguſtanus, Anno 1615. die 2. Maij, ad dicti Miraculoſi Sacramenti cultum augendum, veteribus indulgentijs confirmatis, nouiſque adiectis conceſſit, vt quotannis in feſto illius, quòd in diem vndecimum menſis Maij incidit, prædictum Sanctiſſimum Miraculoſum Sacramentum (quod Sacramentum non eſſet, ſi Chriſtus non amplius adeſſet) vnà cum alijs SS. Reliquijs in eodem Monaſterio aſſeruatis, Chriſtiano ac

deuoto

deuoto populo publicè oſtendatur, & ibidem honorificè exhibeatur. Quæ legere licebit apud R. P. Vochetium *p. 1. §. 19. & 21.*

L I.

Raphaël Auerſa Ordinis Cler. Regul. Min. in Tract. de Euchar. ſect. 8.

ANNO 1643.

QVartò vlteriùs videndum eſt, an, quando tales apparitiones contingunt, remaneat adhuc Chriſtus ſub accidentibus? *Et infrà.*

Sed potiùs videtur permanere ſubſtantia Chriſti ſub eadem quantitate, etiamſi cetera accidentia virtute diuinâ mutentur. Hæc eſt planè de mente S. Thomæ &c. *Et infrà.*

Probatur tum à poſteriori ratione, quia adhuc ſolet Sacramentum à fidelibus adorari, quando tales apparitiones contingunt, ſicut adorabatur antea:

tea: adoratur, inquam, non ſolùm vt Reliquia, ſed vt verè ipſe Chriſtus: nec certè examinari ſolet, an ſolus color cum figura mutatus ſit, quin imò etiam ſapor, odor, & ſic omnes qualitates apparere ſolent Carnis & Sanguinis, & nō amplius panis & vini. Tum etiam ex fine, quo fieri ſolent hæ apparitiones, vel ad confuſionem aut conuerſionem infidelium, vel ad conſolationem fidelium, & maximè ad confirmandam veram fidem de præſentia Chriſti; quare putandum eſt, ad hoc Chriſtum ibi manere. Tum certè ideo immutat DEVS accidentia panis & vini, in accidentia Carnis & Sanguinis, vt per ſigna magis conſpicua, & ad repræſentandum proportionata oſtendat ibi adeſſe veram Chriſti Carnem & Sanguinem, ergo non eſt credibile, tunc deſinere ibi eſſe Chriſtum. Tum præterea dici non poteſt, ibi ſuccedere alia ſubſtantia, nempe alterius Carnis & Sanguinis; quæ enim eſſet hæc alia caro? an humana,

an

an belluina? & neutrum eſt decens:nec etiam dici debent accidentia ſola permanere ſine ſubiecto, & ſine omni ſubſtantia, ergo adhuc permanet ibi ſubſtantia Chriſti. Ceterùm Caietanus admittit, quando fit mutatio quantitatis, videlicet quando fit apparitio in multo maiori quãtitate, quàm eſſet quantitas Sacramenti, tunc non manere Chriſtũ. Verùm niſi deſtruatur prior quantitas, ſi mutatio ſolùm fiat per additionem alterius quantitatis, permanente priori, tunc adhuc dici debet permanere Chriſtus ſub quantitate priori, quamdiu nẽpe manent illa accidentia, ſub quibus repræſentatur Chriſtus, non poni autẽ de nouo Chriſtum ſub alia quantitate, quæ de nouo additur. *Et paulò pòſt.*

Dicendum ergo eſt, verè quidem, quando mutatio & corruptio qualitatum fit naturali viâ, non permanere ibi Chriſtum, ſed quando fit per miraculũ, tunc idem Devs qui facit miraculum, conſeruat adhuc ſub accidentibus Carnis

nis & Sanguinis Corpus & Sanguinem Chriſti, quia non facit ibi miraculum ad hoc, vt recedat Chriſtus, ſed potiùs ad hoc, vt per ſigna magis conſimilia demonſtretur. Et ſic debent intelligi & conciliari loca S. Thomæ.

L I I.

Carolus Iacobi, Ordinis S. Benedicti, Procancellarius Vniuerſit. Salisburg. in Diſp. de S. Euchar. Pronunt. 17.

ANNO 1644.

QVid ergo, inquies, videtur tunc, cùm pulchellus quidam Puer apparet, vel in Carnem Hoſtia mutatur, vel ſi ex ea ſanguis emanat? Reſpondeo ſiſtendum eſſe in mente S. Thomæ, qui duplicem aſſignat modum talia cõuenienter explicandi: vel enim ad breue tempus, & non multis, ſed vni vel alteri ſolùm apparet, & tunc ex parte ſpe-

cierum

cierum ſacramentalium nulla videtur contingere mutatio, nec deſinit propterea Corpus Chriſti, ſed formatur in oculis videntium aliqua ſpecies viſibilis diuinitus: vel apparet omnibus & conſtanter ad multum tempus, fitque immutatio ex parte ſpecierum ſacramentalium, ita vt deſtruatur quantitas illarum, tunc & deſinit Corpus Chriſti: vel ita vt permaneat quoque Corpus Chriſti, non tamen ſtatim ipſum Corpus Chriſti videtur, ſed ſpecies miraculosè formatæ, ſine omni deceptione tamen. nam vt S. Doctor loquitur, hoc fit in figuram cuiuſdam veritatis, ſcilicet ad oſtendendum, quòd in Sacramento ſit verè Corpus Chriſti.

L I I I.

Franciſcus Syluius S. Theol. D. & in Academia Duacena Profeſſor, in 3. p. D. Thomæ q. 76. a. 8. in fine.

ANNO 1645.

QVamdiu verò factâ coloris ſimiliúmque accidentium mutatione, manet ea quātitas, quæ priùs fuerat panis, manet etiam Corpus Chriſti Quantitatem intellige cum eâdem denſitate, odore, ſapore, temperamento, quod ad conſeruationem ſubſtantiæ panis, ſi illic eſſet, ſufficeret. Veriſimile autem eſſe, quòd in miraculoſis apparitionibus communiter illa maneant, argumēto eſt, tum quòd mutationes præcipuè fiant circa illa accidentia panis, quę ſunt communia, tum quòd Eccleſia ſoleat Hoſtias conſecratas in colorem Carneum vel Sanguineum mutatas, venerari, vt verum Euchariſtiæ Sacramentum. *Et infrà.*

Præ-

Præterea non improbabile eſt, ſpecies iſtarum apparitionum ſacramentales, diuinâ virtute ſeruari ſubinde incorruptas diutius, quàm alioquin perdurarent, ſicut ſeruantur quorundam Sanctorum Reliquiæ.

L I V.

Ioannes, Cardinalis de Lugo, Societ. Ieſu, diſp. 10. de Euchar. ſect. 3. n. 53.

ANNO 1644.

TErtia dubitatio eſſe poteſt, vtrùm quando miraculosè apparet Caro, vel Puer in Euchariſtia, cenſeatur deſinere Chriſtus ſub ſpeciebus: de quo agit S. Thomas *qu. praced. a. 8.* ratio autem dubitandi eſt, quia iam non videntur manere ſpecies panis, ergo eo ipſo ceſſat præſentia Sacramentalis Chriſti. *Communis tamen ſententia cum S. Thoma affirmat*, manere adhuc Chriſtum, neque enim credibile eſt, miracula ad oſten-

oſtendendam veritatem præſentiæ Chriſti in hoc Sacramento deſtruere ipſam præſentiam tunc, quando maximè videtur Chriſtus oſtendere ſe præſentem. Dicendum ergo eſt, licèt ſpecies aliquando immutentur per huiuſmodi apparitiones quoad colorem & figuram, non tamen amittere temperamentum requiſitum ad formam panis, quo ſtante non deſinit præſentia ſacramentalis, quantumuis immutentur exteriùs ſpecies illæ, ſiue per breue, ſiue per longum tempus.

L V.

Ioannes de Caſtillo Soc. Ieſu, Tract. 4. de Euchar. diſp. 6. dub. 7. num. 82. & 88.

ANNO 1646.

82. **ASſerendum inprimis eſt, vt cum S. Thoma dub. præced, notabã, ſi hæc alteratio ſolùm fiat in coloribus, non autem in alteratione primarum quali-**

qualitatum, & earum, quæ alioquī requirerentur ex natura rei ad ſubſtantiam panis & vini, ſemper ibi Chriſtum perſeuerare; hoc enim pertinet ad veritatem, inſtitutionem, & promiſſionē factam circa hoc Sacramentum. Idémque à fortiori dicendum eſt, quando ſpeciebus in ſe immutatis ſolùm ſimul & intra ambitum illarum apparet Caro vel Puer, vt patet.

88. Vtrùm autem horum fiat, vel ſcil. in his apparitionibus mutari qualitates requiſitas ad perſeuerandum ibi Corpus Chriſti, vel illas immutatas perſeuerare, non poteſt certa regula ad id dignoſcendum aſſignari: veroſimilius tamen videtur, ita fieri mutationē ſpecierum, quantum ad figuram, colorem, & ſimilia, vt ſub ipſis de cetero immutatis perſeuerare poſſit ſubſtantia panis & vini, adeóque ſub ipſis Chriſtus perſeuerat, donec decurſu temporis contingat, ſpecies ipſas corrumpi.

Atque hæc ita fieri plerùmque, videtur

tur magis congruere fini, quem Devs ordinariè medijs prædictis apparitionibus intendit, nam eæ fiunt ad ſignificandam Chriſti præſentiam ſub ſpeciebus, cui fini ſæpe congruentius eſt, quòd ſub illis perſeueret.

L V I.

Iacobus Marchantius in Horto Paſtorum Candelabri myſtici. tr. 4. lect. 6. propoſit. 1.

ANNO 1648.

Dico ſecundò, quando Hoſtia ſacra vertitur in figuram Carnis, aut vinum conſecratum in formam Sanguinis, ſeruatâ aliquouſque quantitate ſpecierum, & ſeruatis accidentibus panis & vini magis proprijs, vt ſunt odor & ſapor, ita vt cum talibus ſubſtantia panis & vini conſeruari poſſet, ſi adeſſet: tunc ſub ſpeciebus panis & vini remanet verè Corpus Chriſti, & quod apparet, non eſt vera Caro neque verus Sanguis,

guis, ſed colore tantùm & figurâ Carnem aut Sanguinem refert, vt docet *D. Thomas 3. p. q. 76. a. 8.* qui dicit tales plures reperiri apparitiones Talis ergo Hoſtia tamdiu in cultu latriæ adoranda eſt, quamdiu ſpecies manent in integritate.

L V I I.

Ioannes de la Cruz Ordinis Prædic. in Directorio Conſcientiæ de Sacram. Euchar. pag. 334. edit. Colon. in 8.

ANNO 1649.

DVb. 5. An ſi in Euchariſtia appareat Caro, aut Puer, ſit ibi Corpus Chriſti? Prima Concluſio *D. Thomæ art. 8.* **Dum manent dimenſiones panis, quæ erant ante conſecrationem, & ſunt fundamentum aliorum accidentium, manet ibi Corpus Chriſti, non ſolùm quando talis apparitio fit extrinſecè per immutationem medij, vel viſûs,**

vt patet, cùm nulla tunc fiat immũtatio ex parte Sacramenti, ſed etiam quando fit per immutationem ſpecierum ſacramentalium circa colorem aut figuram. Nam tamdiu durat Chriſtus in Euchariſtia, quamdiu durant accidentia, quæ conſeruant ſubſtantiam panis; ergo. Iſtæ enim apparitiones taliter fiunt, quòd manet eadem quantitas, & aliqua accidentia, ſub quibus conſeruaretur ſubſtantia panis, etiamſi varientur aliqua accidentia, vt color & figura.

L V I I I.

Auguſtinus Bernal Societ. Ieſu, de Sacram. Euchar. diſp. 38. num. 62.

ANNO 1651.

SExta dubitatio, quando Caro, vel Puer, vel Sanguis in ſpeciebus conſecratis apparet, deſinátne tunc eſſe Chriſti ſubſtantia ſub eiuſmodi ſpeciebus? Reſpondeo *cum communi ſenten-*

tia, non deſinere: nam eſſet ingens deordinatio, tunc inde abeſſe Chriſti ſubſtantiam, quando per miraculoſam operationem ibi adeſſe ſignificatur & confirmatur.

L I X.

Ioannes Poncius Ord. Minorum ſtrict. obſ. 9. concluſ in Curſu Theol. d. 44. q. 9. concluſ. 3. n. 84.

ANNO 1652.

QVæres: an, quando apparet in Hoſtia Caro Chriſti, aut ipſemet crucifixus, deſinat manere ſacramentaliter ſub ſpeciebus? Reſpondeo *cum communi*, quòd non, quia Miraculum illud factum ad confirmationem fidei & deuotionis erga Sacramentum, non debet tollere ipſummet Sacramentũ, & licèt non appareant tum ſpecies panis, tamen non ſequitur inde, quin verè ſint ibi.

L X.

Gabriel de Henao Soc. Ieſu Tomo de Sacram. Euchar. d. 11. ſ. 1. n. 4.

ANNO 1655.

IN ſecundo caſu, ſi remanentibus antiquis dimenſionibus ſpecierum ſacramentalium fiat tantùm immutatio quoad figuram, colorem, & alia huiuſmodi, non deſinet Chriſtus eſſe ſub eis, nec videbitur ipſe, aut eius Caro vel Sanguis penes propriam ſpeciem.

L X I I.

Rodericus de Arriaga Soc. Ieſu, to. 7. curſûs Theol. d. 39. ſect. 4. n. 17.

ANNO 1655.

ROgabis ſecundò, an, quando in Hoſtia conſecrata ſolet apparere Chriſtus Dominus, maneat ibi verum Corpus ipſius, illúdque ſit, quod ibi apparet? Reſpondeo, per apparitionem non deſinere eſſe Chriſtum ibi, quia illa

apparitio ſit ad probandam præſentiam illius ibi, cum quo non bene cohæreret, ipſum tunc inde diſcedere; nec quia exterior apparentia ſpecierum mutata ſit, ideo deficit ibi interius temperamentū requiſitum ad ſubſtantiam panis.

L X I I.

Ludouicus Abellius, in Medulla Theolog. p. 2. cap. 4. de Sacram. Euchariſtiæ ſect. 5. §. 3.

ANNO 1655.

SExta denique difficultas eſt, quid de miraculoſis apparitionibus ſentiendum ſit, quæ aliquando in hoc Sacramento contigerunt, & adhuc contingere Deo volente poſſunt, vt quando Puer vel Caro in manibus Sacerdotis, aut ſuper altari, vel Sanguis in calice cernitur? Reſpondet S. Doctor, *Chriſtum tunc ſemper manere in hoc Sacramento*, nec Carnem illam aut Sanguinē miraculosè apparentem, eſſe Carnem

vel

vel Sanguinem ipſius Chriſti, ſed eſſe aliquid miraculosè productum, quo tum Caro aut Sanguis ipſius Chriſti, tum etiam Sacramentales ſpecies teguntur.

L X I I I.

Paulus Maria Quarti Clericus Regularis in Comment. ad Rubr. Miſſalis Rom. p. 3. tit. 3. ſect. 3. dub. 4.

ANNO 1655.

Dico ſecundò: Quando Sacramentum videtur verti in Puerum, aut Carnem, & Sanguinem, regulariter loquendo adhuc manet ibi Chriſtus ſacramentaliter. **Probatur, quia non videtur credibile, ea miracula, quæ fiunt ad oſtendendã veritatem præſentiæ Chriſti in hoc Sacramento, deſtruere ipſam præſentiã tunc, quando maximè Chriſtus ſe manifeſtat præſentem. Nec obſtat, quòd non videntur manere ſpecies panis: Reſpondetur enim, verè tunc non deſtrui qualitates & accidentia ne-**

ceſſaria ad conſeruationem ſubſtantiæ panis, quamuis fiat mutatio quoad colorem & figuram, quæ ſunt accidentia communia, nec obſtant temperamento requiſito ad formã panis, ergo nec deſinit ibi præſentia ſacramentalis Chriſti. Confirmatur ex conſuetudine Eccleſiæ, quæ Hoſtias conſecratas mutatas in colore carneo & ſanguineo diu conſeruat & veneratur, vt verum Eccleſiæ Sacramentum.

APPENDIX

Ex Additionibus R. P. Henrici VVangnereck Soc. Ieſu, Academiæ Dilinganæ Cancellarij ad Tractatum Petri Tyræi eiuſd. Soc. de Apparitionibus Sacramentalibus pag. 115. Quòd Miraculoſum Sacramentum Auguſtanum, Catholicam Religionem generatim, & ſpeciatim tres Articulos de Euchariſtia confirmet.

QVod DEVS alibi egit, vt Catholicam Religionẽ Apparitionibus & Miraculis Euchariſticis confirmaret, id vel maximè Auguſtę Vinde-

Vindelicorum in Miraculoſo apud S. Crucem Sacramento ſpectaſſe videtur : vt Lutherani præcipuè, vbi errorum ſuorum Symbolū, Confeſſionem, inquam, Auguſtanam, primò editam gloriantur, ibidem veram religionem confirmari videant ſplendore Miraculorum: quorum ipſi nullum pro ſe afferre poſſunt, indigni qui de contemptu Miraculorum audiantur, quibus cùm fidem adimunt, omnem Hiſtoriam è rebus humanis tollunt. Cur enim magis Liuio, Tacito, Salluſtio de rebus Romanorum, quàm S. Gregorio in Dialogis, S. Auguſtino, aliiſque prodigia, quibus fidei noſtræ myſteria confirmata ſunt, narrantibus credamus? Aut cur minorem fidem tribuamus recentioribus Miraculis, quàm veteribus, cùm vtraque eadem religionis dogmata, de Euchariſtia maximè, confirment?

Sunt certè Miracula proprium opus DEI, & ſicut ſigillum teſtatur de voluntate Principis, ſic ipſa veram Religionem nobis explicant. Vnde rectè dixit *Richardus de S. Victore l. 1. de Trinit. c. 2. Nónne cum omni confidentia DEO dicere poterimus: Domine, ſi error eſt, à te ipſo decepti ſumus? Nam iſta in nobis tantis ſignis & prodigijs confirmata ſunt, & talibus, quæ non niſi per te fieri poſſunt.*

Sed ſpeciatim tres de Euchariſtia articulos Auguſtanæ Hoſtiæ prodigio ſtabiliri palàm eſt.

Verita-

Veritatem quidem ac præſentiam Corporis Chriſti in Sacramento verè colligimus, non enim apparet, quid magis eâ re ſpectare voluerit DEVS. Qui hanc aliáſque prodigioſas Chriſti Apparitiones in Sacramento ſub peregrinis ſpeciebus fideliũ oculis tum obiecit, cùm paulò antè Abaïlardus, Petrus de Bruis, eiúſque diſcipulus Henricus, à quo dicti Henriciani, & paulò pòſt Albigenſes, tum alios Orthodoxæ Religionis articulos, tum vel præcipuè veritatem Corporis & Sanguinis Chriſti in Euchariſtia impiè conuellerent, vt tempora annóſque conferenti manifeſtum erit.

Vnâ deinde ſpecie, non minùs quàm ſub vtrâque, totum Chriſtum, eiúſque Corpus & Sanguinem contineri, ſanguinea Miraculoſi Sacramenti noſtri forma demonſtrat. Et cruento rubore Lutheranos cogit erubeſcere, qui dum Chriſtum ſub vtraque ſpecie ſibi deberi pugnant, Sacerdotibus ritè conſecratis deſtituti, eundem ſub neutrâ percipiunt.

Extra vſum denique, & ſumptionem, Chriſtum in Sacramento præſentem eſſe, rectéque illud aſſeruari & adorari, quoad ſpecies, panis & vini ſubſtantiæ conſeruandæ neceſſariæ, durant, idem hoc, verè Auguſtum, Auguſtæ Sacramentum teſtatur. Huic enim diuinum cultum ſupra annos quadringentos & quadraginta, tot fidelium populorum deuotio conſtantiſſimè.

mè exhibuit, Deo, qui falſitatis teſtis eſſe non poteſt, hunc ſenſum & cultum confirmante ſequentibus ſignis, tanto numero, támque manifeſtis ſæpe ſolius potentiæ ſuæ argumentis, vt ambigendi locus relictus non ſit, niſi ijs, quibus certiſſima quæque videntur controuerſa, quibúſque nihil certi eſt, niſi quod ipſi ſomniant.

EPILOGVS EIVSDEM.

EX his tot ac tantis DD. (quibus plures aliæ addi poſſunt) autoritatibus euidens eſt, Chriſtum tanquam verè ac realiter præſentem ſub cruentâ Hoſtiâ in Miraculoſo Sacramento, quod Auguſtæ apud S. Crucem colitur abſque omni periculo falſi & erronei cultûs adorari à Chriſti fidelibus ſolere, neque niſi temerè ſcrupulum ſuper hoc cuiquam inijci poſſe. Si enim aliæ Theologorum communes, ac à pluribus ſeculis receptæ ſententiæ ſecuritatem præſtant conſcientijs, ita vel maximè iſta, quæ vel nullum, vel pauculos, nec magni nominis habuit refragatores, refragante ipſis immemoriali Eccleſiæ & fidelium vſu ac ſenſu, veriſſimáque hac ratione, quòd non ſit conueniens diuinæ ſapientiæ ac fidelitati, recedere & abeſſe ab Hoſtiâ, cuius miraculoſâ immutatione, præſentiam ſuam ſacramentalem voluit teſtari, & continuis miraculis falſam fidelium opinio-

opinionem colere & confirmare de adorando Sacramento, quod Sacramentum non eſt, nullâ in contrarium ſuppetente ſolidâ ratione, vt adeò vſurpari hîc poſſit illud Auguſtini l. 3. de libero arb. c. 1. *Quidquid tibi verâ ratione melius occurrerit, hoc ſcias DEVM feciſſe*, & illud D. Thom. Aquinat. *Quod non capis, quod non vides, animoſa firmat fides, præter rerum ordinem.*

Oratio.

DEVS, qui nobis ſub Sacramento mirabili paſſionis tuæ memoriã reliquiſti: tribue quæſumus, ita nos Corporis & Sanguinis tui ſacra myſteria venerari; vt redemptionis tuæ fructum in nobis iugiter ſentiamus. Qui viuis & regnas cum DEO Patre in Vnitate Spiritus ſancti DEVS, per omnia ſæcula ſæculorum. Amen.

FINIS.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE